5. 8. 323

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII
DE FERRARIIS
GALATEI
DE SITU JAPYGIÆ
LIBER

NOTIS ILLUSTRATUS
CURA ET STUDIO
JOANNIS BERNARDINI TAFURI
NERITINI:

Cui Acceſſerunt
Authoris Vita à Petro Antonio de Magiſtris deſcripta: Eruditorum Virorum de eodem honorifica Teſtimonia: Et varia ejuſdem Opuſcula.


ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. JOANNI
DE NICASTRO
CLAUDIOPOLITANÆ ECCLESIÆ
EPISCOPO.

✠ ✠ ✠

LYCII, M.DCC.XXVII.
Excudebat Orontius Chiriatti.
Ex Præſidum permiſſu.

Digitized by Google



ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
DOMINO

D. JOANNI
DE NICASTRO

CLAUDIOPOLITANÆ ECCLESIÆ
EPISCOPO

JOANNES BERNARDINUS TAFURUS
S. & F. P.

IN multis, magniſque Beneficiis, Præſul Illuſtriſſime quæ Vir clariſſimus Franciſcus Xaverius Comus Metropoliticæ Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicus eruditione, atq;

a 2 doctri-

doctrina notus vario tempore mihi contulit, non ultimum ſanè cenſeo, ut me in honorificam amicitiam, & conſuetudinem tuam adſciſceres, impetraſſe: quam diù peroptavi, & jure feci ſemper maximi. Gratiſſimi honoris genus ne paucis dumtaxat notum deliteſceret, conſtitui vel remotiſſimis nationibus patefacere: votique explendi opportunam occaſionem tribuit Celeberrimum Opuſculum DE SITU JAPYGIÆ Antonii Galatei rurſus publicis typis excuſſum, ac Notationibus à me illuſtratum. Noſco ſanè quàm ille præclariſſimi Scriptoris operi ſint impares. Quod tamen decus nativa Auctoris obſcuritas non impertiit, mutuabuntur ipſæ à tuo nomine, ab eximiis animi dotibus, & genere, quod priſca, & nobili commendatum origine, ac illuſtribus affinitatibus clarum, Arcomonios, Antinoros, Gentiles antiquos hujus Neritinæ Civitatis Dominos, Minadoos, aliasque præſtantes Stirpes attingit; Iuvenacii, Siponti, Luceriæ, Beneventi conſpicua ſobole propagatum, & in Neapolitano Regno latè conſpicuum. Priſca, atque recentia Hiſtoriarum monimenta illuſtres ex Nicaſtro genere Viros efferunt. Obverſantur autem cum primis OCTAVIUS, & JOANNES prudentia, & judicii acrimonia noti: quorum alter Ladislai,

alter

alter Alphonſi, ac Ferdinandi Seniorum Regum Neapolis à Conſiliis fuit. POSSIDONIUS, & ACHILLES milites ſtrenui, qui prò Philippo II. meruerũt. ALEXANDER & JOANNES avus tuus in Belgio prò Philippo III. militans, virtutis merito largum ab eo proventum retulit, JORDANUS germanus frater Vir eximius ad cæteras præclaras dotes animi literariæ eruditionis ornamentum adjecit; ſcripſitq; Beneventanam Hiſtoriam quatuor diſtinctam voluminibus, quam numeris omnibus abſolutam, ac publica donatam luce nunc haberemus, niſi importuna morte quarto decimo ab hinc anno fuiſſet ereptus. Horum omnium Virtutes, & aliorum egregia facta ſic unus æmularis, & exprimis, ut majoribus tuis augere decus, non ab iis accipere videare. Augent in dies nomen præclara tua volumina in vulgus emiſſa, ob eruditionem, atque doctrinam laudata, & honorifico Literatorum Virorum plauſu paſſim excepta, laudeſque laudibus accedunt, ubi illa quoque florentis ingenii monumenta, edes, quæ felici ſcripta manu Scrimia tegunt, vel elucubras: neque tantum eximiis tuis laboribus literariæ Reipublicæ curas emolumenta, verum etiam literas foves, viroſque doctos prò viribus juvas. Hinc non pauci eru-

titos labores, ac proprii ingenii foetus publici juris facturi, Te unum in Patronum elegerunt, tuoque nomine honeſtatos edidére. Ex eo numero novimus Perſium de Porta, Carolum Criſconium, Petrum Pipernum, Alexium à S. Joſeph è Clericis Regularibus Scholarum piarum, Franciſcum Games Paternò è Societate Jeſu, Chriſtophorum Scalphium. Quo tamen honore, ac pretio, Vir Illuſtriſſime, doctos homines complecteris, eodem Te ipſi viciſſim proſequuntur, ac illuſtriorem ſuis præconiis Poſteritati reddunt. Id pro merito præſtitere Nicolaus Amenta, Hieronymus à S. Anna rigidius Carmelitarum Inſtitutum profeſſus, Franciſcus Maria de Aſte Hydruntinorum Archiepiſcopus, Nicolaus Coletus, Authores Diariorum rerum Literariarum Italiæ, Dominicus Viva è Societate Jeſu, & alii. Præſtantium tuarum virtutum merita non latuere BENEDICTUM XIII Pontificem Maximum, qui Te ſacra, & profana doctrina notum, utriuſque Juris commendatum peritia, ac pluribus muneribus in Beneventana Dioeceſi præclarè geſtis inſignem nuperrimè Claudiopolitanum renunciavit Epiſcopum: perhonorifico addito Diplomate: quo ampliori exornaris Teſtimonio. Teſtis meæ ergà Te æſtimationis, & pretii hoc idem

Opus

Opus Poſteritati erit ; & perennabit . Nec dubito grato Te animo meos hoſce qualeſcumque conatus recepturum , qui inſita Comitate me tantopere diligis , nec vulgaribus in dies cumulas Beneficiis Neriti Kalendis Maii Anno Domini MDCCXXVII.

Digitized by Google

CAROLUS DEI GRATIA REX HYSP. & ROMAN. IMPERATOR.

IN Conſ. bujus S R Hydr. Aud. coram Illmum Dñum Præſide, & Dñis Judicibus M.C. Vic. D. Michaele de Bonis Capite Aulæ, ac D. Franciſco de Galdiano Regii Fiſci Pnō, viſa ſupradicta relatione Mag. D. Riccardi de Matthęis Juris Conſulti, fuit proviſum, quod præfatus liber reimprimatur una cum notis, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica & ita &c. Datum Lycii die vigeſimo ſeptimo menſis Maii 1727.

BOLANO.

DE BONIS. V. FISC.

Pepe Secretarius.

Attenta relatione Rev. D. Xaverii de Blaſi, liceat Typis mandari. Datum Lycii die 20 menſis Maii 1727.

J. M. DANZA VIC. GEN.

AD

AD LECTOREM

Prò Opere Antonii Galatei de Situ Japygiæ, cujus rariſſima extabant exemplaria, recenter recuſo, mendis expurgato, Notis illuſtrato, nonnullis, qui ejuſdem ſupererant, Poeticis foetibus adaucto; Illmo, ac Rmo Præſuli Claudiopolitæ Dño D. JOANNI DENICASTRO dicato per Dñum JOANNEM BERNARDINUM TAFURUM, plura jam marte ſuo edere parantem

IGNATIUS MARIA COMUS.

En tibi pannoſæ deterſum ſorde ſenectæ
TAFURUS præbet nobile, LECTOR, opus,
Præbet opus, quo te claravit, Japygis ora:
Inque tuas laudes tot Galateus abit.
Nec modò deterſum, quin & brevitate tenebras
Prognatas, doctis diſſipat ille notis.
Jamque analecta catus vel edacis temporis addit,
Quæ ſuperant hujus carmina pauca viri:
Quæ ne fortè iterum Sæclis labentibus ætas,
Immemori aut Lethes obruat unda vado:
Illius auſpiciis meritò rediviva fruuntur,
Qui claudiâ Præſul nomen ab Urbe refert.
Sic Samni Columen vincet dum ſæcula plauſu
Hoc etiam parili Sorte fruetur opus;

Ne

Ne tamen hæc reputes TAFURI munera prima
Neu poſtrema: dabit ſi Deus, atque Dies.
Primæva tectus malas lanugine, ſacræ
Italiæ (1) *potuit congeminaſſe decus.*
Flaminis (2) *Armeniæ quæ geſta, volumina centũ*
Vix caperent, libro retulit ipſe brevi.
Quando illum Patriæ non una ambage ſolutum
Difficili nimium tempore cura premit.
Quot ſtudiis dederat Pilumnia Terra (3), *Minervę*
Lethæo Heroes eruit ipſe lacu,
Dum Patriã (3) *geminos navus procurat in annos:*
Statque humeris iterum ſarcina tanta ſuis.
Spinelli (4) *calamum priſca fuligine terſit,*
Candori & potuit reſtituiſſe ſuo.

Hæc

(1) In Italia ſacra Abb. Ferdinandi Ughelli Venetis Typis Sebaſtiani Coleti recuſa *Additiones* fecit Epiſcopis, & Archiepiſcopis Hydruntinæ Provinciæ

(2) *Vitæ epitomen* dedit magni illius Armeniæ Pontificis, & præcipui Neritinæ Urbis Patroni Divi Gregorii, cum ſuæ Patriæ præeſſet munere; quod audit Syndicus Nobilium

(3) Cum iterum id muneris impleret, Orationem habuit in Solemni reſtauratione Academiæ Neritinæ INFIMORUM omnigena eruditione refertam, quà de antiquis ſtudiis, Academiis, & Viris quàcumque Scientia præditis Neritinis ad ſaturitatem diſſeruit, quam publici Juris fecit P. Bonaventura de Lama in ſuo Operè inſcripto. *Cronicà de' Minori Oſſervanti Reformati della Provincia di S. Nicolò ſtampata in Lecce nel* 1724 *nella Parte* 2. fol. 202. ad 226.

(4) Matthæi Spinelli è Juvenatio Diurnalia mendis expurgata,

Hæc commiſſa Typis axem per utrumque reportat
Fama Viri plauſu velificata novo.
Spondet at his maiora. Senex jam jamque renaſci
Montibus in Calabris Ennius (5) *ipſe flagrat.*
(6) *Neritiæ haud tantũ memorat præconia gentis:*
Et ſeges eſt olli maxima laudis (6) *Hydrus.*
Conigeri Annales (7) *dum mente redarguit acri*
Expungit docta ſingula menda manu.
Hic quoq; quas celebres in Palladis (8) *iclyta caſtris*
Gens rapuit palmas Parthenopea (8), *refert*
Invida, quos tacitis preſſere ſilentia chartis,
Unus ob immemori vindicat ipſe rogo.
Tot non Hybla roſas, quot libros fertilis omni
Obſtetricanti parturit ipſe die.
Extinctis Vitam reddenti Vatibus olim
Pro tanto grates munere, Lector, habe.
Sic tibi cum Muſis aderit vel pulcher Apollo,
Sic NICASTRIADES *vel tibi numen erit.*
Vinctus & officio tibi nunc TAFURUS *amico*
Servabit Sponſam tempus in omni fidem.

---

expurgata, criticis Notis inſtructa Typis dedit in ſua *Collectanea Scriptorum Italiæ* Celeberrimus Vir Ludovicus Antonius Muratorius Tom. VII.

(5) Diſſertationem ornavit de *vera Patria Ennii Poetæ*

(6) Hiſtoriam præ manibus habet, non modò peculiarē ſuæ Patriæ *Neriti*, ſed & univerſæ *Hydruntinæ Provinciæ*

(7) *Antonelli Coniger Annales* inſtante eodem Muratorio trutinavit.

(8) Bibliothecam Neapolitanam Nicolai Toppi mendis expurgat, ſupplet, adauget, & ad hæc uſque noſtra ultima tempora continuat.

PRO DOMINO JO: BERNARDINO
TAFURI
NERITINORUM PATRITIO,
Quòd Volumen Antonii Galatei De Situ Japygiæ Notis illuſtravit, ac recenter excudendum curavit.

JOANNES BERNARDINUS TAFURUS

69	113	69

251

Anagramma arithmeticum perfectiſſimum.

ECCE SOLVENS AMBAGES PRIORUM.

16	93	44	98

251

TE quoties vidi, tua cum floreſceret ætas,
Os puerile tibi nil puerile fuit.
Navus eras, mentemque tuam, moreſque colendo,
Palladis aſſiduus viſus adeſſe jocis.
Mirabar puero quid vellet gnara ſenectus,
Ipſaque venturi luminis omen erat.
Promiſſis ſtetit illa ſuis, nunc ECCE PRIORUM
AMBAGES SOLVENS luminis inſtar eris:
Advolet hinc ergo lætus Galateus ad Urbes
Tot radiis comptus, quot micat ipſe notis.

D. Jo: dello Preſta ipſius Tafuri
in humanioribus diſciplinis Præceptor.

IN

Digitized by Google

IN ANTONII GALATEI LIBRUM DE SITU JAPYGIÆ PRÆFATIO JOANNIS BERNARDINI TAFURI.

INter exculta, & docta florentis ingenii monimenta, quæ ſcripta Poſteritati reliquit Antonius de Ferrariis Galateus, Vir ætate ſua celeberrimus, doctiſſimorum Virorum judicio Principem ſibi locum vindicat LIBER DE SITU JAPYGIÆ, *quem, ut Jo: Baptiſtæ Spinelli Cariatenſium Comitis enixis votis, precibuſque obſecundaret, ſub Annum Domini quingenteſimum decimum ſupra milleſimum exaravit. Erat enim verò Spinellus tùm literaria laude, tum etiam rerum uſu cum primis illuſtris. Id autem illi Antonius elaboratum miſit Opus, quod flagitantis deſiderium implevit, atque præcipuas ob ingenii præſtantiam, elegans dicendi genus, perſpicuum differendi methodum,*

nec

nec importunè ingeſtam eruditionem à Viris præſtantibus ſibi laudes aſcivit, aſciſcetque, donec bonæ excolentur, & in pretio habebuntur literæ. Certè Paulus Jovius Nucerinorum Antiſtes idipſum antiquorum Auctorum ſcriptis jure comparat. Critici autem, & varii ordinis Hiſtorici egregiè prò re nata commendant laudes laudibus cumulantes, quibus è nobile Galatei nomen vireſcit, vigetque.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio omnium primus Baſileæ publicis Typis illud vulgavit Joannes Bernardinus Bonifacius Uritanorum Manchio, qui partum liberarum ſtudiis, & diſciplinis decus profligatis moribus, & qua infelix eſt illuſus, deturpavit hæreſi. Porrò tanto Eruditorum Virorum plauſu Galatei de Situ Japygiæ liber eſt exceptus, ut dum luſtro non dum exacto, Editionem iterari oportuerit. Quod ipſius Bonifacii cura in eadem Urbe actum eſt, anno memorati ſæculi octavo, & quinquageſimo. Ab iis tamen, qui excuſioni præſiderunt nonnulla ſunt ex ingenio operi inſerta, quæ ut ab Antonii orthodoxi hominis mente ſunt prorsùs aliena, & ab ejus germanis Codicibus abſunt, ità averſum à Pontifice Maximo, Sacriſque Catholicæ Eccleſiæ Miniſtris Hæreticorum animum pateſaciunt. Ea nos in Animadverſionibus noſtris priſtinæ integritati reſtituta lectione opportunè indicabimus. Obſtruſu

dolo

dolo malo pravis aſſertis integrè ſcriptum Volumen ad M. SS. Librorum fidem jampridem expurgaverat Antonius *Scorranus Galateus Archipresbyter vir gravis, & doctus, novamque curavit ejuſdē Opuſculi editionem* Neapoli *anno elapſi ſaeculi vigeſimo quarto. Praefixa Operi Auctoris Vita deſcripta à* Petro Antonio *de Magiſtris item Galateo; quam nos rurſus publicae luci nuperis Typis reſtituimus.*

Quanquam verò, & inter Auctores, *qui* Italiae Illuſtratae *Volumen implent, & exornant* *Antonii de Situ Japygię pręclarum legatur Opus, rariſſimum nihilominus merito ſuo, ac pretio evaſerat, pluresque ejuſdem deſiderium coeperat indies auctum. Nonam ejus editionem cogitarant in* Sallentinis *Abbas Dominicus de* Angelis *Lycienſis,* & Cataldus *Antonius* Caſſinellus *Metropolitanae Eccleſiae Tarentinae* Canonicus *vulgatis Operibus clari: Verum intempeſtivus utriusque obitus cogitatum eluſit, fruſtravitque. Nobis in eandem curam facillimè accenſis vehementes addidere ſtimulos Noſtrates, exteri* Amici *doctrina, & eruditione conſpicui. Itàque tantorum Virorum poſtulationi libenter morem gerentes, & aliorum deſiderio facturi ſatis lycienſibus adhibitis typis praeſtantiſſimi Libelli recuſionem paravimus. Huic optimum factu duximus opportunas Notas adiicere, quibus inſigniores, vel obſcuriores locos illuſtremus. Id tamen*

curan-

curantes labore noſtro, ut prò rerum diſcrimine res potiſſimum ad Japygiam pertinentes enucleemus. Quanquam alicubi, & de alienis nonnulla delibabimus, nec non eruditorum hominum de Antonio Galateo honorifica Teſtimonia, ac nonnulla ejuſdē Opuſcula. Quid hoc conatu præſtiterimus facile quiſque intelliget. Neque plurimum à nobis laborādum remur: ut impenſæ curæ, ac diligentiæ æqui, bonique Lector faciat.

ANTO.

Digitized by Google

ANTONII GALATEI VITA.

A PETRO ANTONIO de Magiſtris deſcripta.

ANTONIUS Galateus Galatana JAPYGIÆ oppido oriundus, licet ex Familia de Ferrariis, cognomentum tamen à Patria ſortitus eſt: ejus Avus, & Progenitores Græci Sacerdotes fuere. Pater Petrus nuncupatus Cupertini interiit. Poſt mortem Patris, à quo quatuor habuerat ſorores, ipſe puer Avunculi ſui diligentia, & ſumptu prima literarum fundamenta Neriti hauſit: deinde majori indigens diſciplina ad majora literarum ſtudia Philoſophiæ, & Medicinæ ſe contulit. In quibus cum profeciſſet, inſignia Doctoratus Ferrariæ accepit. Fuit optima temperatura: juſto, & quadrato corpore, obeſo tamen: capite grandiuſculo: lata, & eminenti fronte: cæſeis oculis, qui magnum ingenii acumen ſignificarunt: fuit vivido colore, hilari pulchraque facie & veneranda. Inter cætera

Digitized by Google

Provintiæ loca Callipolim coluit, cujus aër magis ipſi conveniebat, quàm aër Galatanæ ubi natus, aut Neriti ubi educatus, aut Lupiarum, ubi tamdiù moratus fuerat: cibo, & ſomno parciùs utebatur, ſimplici cæna gaudebat. Tertia, aut quarta noctis hora dormitum ibat, nona, aut decima ſurgebat. Fuit vitiorum inſectator, veritatis amator, antiquitatis admirator: Ignorantiæ hoſtis: facilè ratione vinci patiebatur: jactantiam abhorrebat; placuit tamen illi non parùm ſocratica illa ironiâ, ita quòd ferocior lingua quàm factis eſſet, ut ex Callipolis deſcriptione colligitur. Fuit Reip. Lupienſis adminiſtrator in Epiſtola ad Belliſarium. Fuit Philoſophus & Medicus celeberrimus, in Mathematicis, & Coſmographiæ ſtudio benè verſatus: Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus; in omni denique diſciplinarum genere ſic eruditus, ut à doctis ſua tempeſtate viris omniſcius appellaretur. Fuit Ferdinandi Senioris Regis Neapolitani Medicus, & Archiater. Ab Alphonſo Secundo fuit benefitiis auctus. Interfuit primo bello turcico, deinde primo, & altero bello veneto: unde bonis artibus, & continuis laboribus [ut ipſemet de ſeipſo loquens teſtatur] Triputeanam villam adeptus eſt. Ejus opera Typis excuſſa leguntur hæc: De

Situ

Situ Japygiæ : Deſcriptio Urbis Callipolis: De Villa Laurentii Vallæ: Alphonſi Regis Neapolitani Epitaphium : Liber de Situ Elementorum: Epiſtola de Situ Terrarum: Argonautica: Libellus de Mari, & Aquis & de Fluviorum origine. Calamo autem exarata à doctis Viris aſſervantur: Eucraſia : Quatuor volumi... Problematum : Dominicæ Orationis expoſitio Italicè conſcripta : Dialogus de Heremita : Epiſtolæ ad diverſos: De Podagra : De optimo genere philoſophandi: De Urbanitate: De Educatione filiorum Regum: Diſcurſus de Duello Italicè. De Bello verò Hydruntino Tractatus, à Michaele Martiano in Italicam linguam verſus, an ſit ejuſdem ambigitur; cùm eadem Hiſtoria ab ipſomet in hoc opere enarretur. Alia tamen ejuſdem [præter etruſca carmina, & phyſicæ quæſtionis ſubtiles libellos] non pauca repeꝛiuntur; quorum tituli adhuc nobis ſunt ignoti. Plures habuit Familiares, ſed præcipuos, Petrum Summontium, ad quem Callipolis Deſcriptionem miſit: Jacobum Sannazarium cui plura inſcripſit: Hermolaum Barbarum, à quo ipſi Galateo paraphraſis Themiſtii in Ariſtotelis Phyſicen dicata eſt: Magnum Pōtanum Neapolitanæ Academiæ Patrem, qui ipſum in ſuis Hendecaſillabis, & alibi hono-

b 2 rificè

rificè celebrat: Belliſarium Neritinorum Ducem, à quo in quadam Epiſtola ſuo libello De Re Militari adjuncta non ſolùm de verborum ornatu, de ſententiarum gravitate, ſed etiam de activa, & contemplativa vita, non parum laudatur. Tandem à Paulo Jovio in ſuis doctorum Virorum el[illegible]s; & à Bartholomæo Chioccarello in ſuo libro De Illuſtribus Regni Neapolitani Scriptoribus magnificè commendatur. Uxorem duxit Mariam Lubellam Sanaricæ Reguli Filiam: ex qua quinque ſuſcepit liberos: Marcum Antonium, qui fuit Abbas Divi Aniceti: Galenũ: Antoninum; Lucretiam, & Eliſabettam; nam alius ejuſdem filius Cæſar dictus fuit nothus: ex Antonino habuit Nepotem Petrum Antonium, in quo ejus virilis ſexus extinctus eſt. Tandem Galateus ipſe Anno Domini MDXVII, die 22 Novembris hora ſeptima noctis, ut ex educatione ad Chryſoſtomum elicitur, ann. 73. Lupiis obiit: ibiq; in Eccleſia Divi Joannis Prædicatorum Ordinis, in ejus Tumulo, quod ſibimet ipſe compoſuit, legitur hoc Epitaphium:

Qui novit Medicas Artes, & Sydera Cœli
Hac Galateus Humo conditus ille jacet:
Qui mare qui terras animo concepit, & aſtra,
Cernite Mortales quàm brevis urna tegit.

ERU.

ERUDITORUM VIRORUM
DE ANTONIO GALATEO
HONORIFICA TESTIMONIA

JOVIANUS PONTANUS
Tract. de Sermone lib. V.

Antonius Galateus familiariſſimus noſter, cui pręter rerum omnium doctrinam, ſummus etiam, ac rerum ineſt dicendi lepos.

IDEM
Tract. de Fortuna lib. 1.

Cujus opinionis, quod vel Authorem habeam Antonium Galateum, vel (quæ verecundia eſt ejus) Socium non pęnituerit me, ſivè Authoris, ſivè Socii, tum propter ſtudiorum horum ſummam, ac ſingularem, quæ in eo eſt cognitionem, tum propter rerum peripateticarum acutiſſimas pariter, ac ſolertiſſimas indigationes.

CARITEUS
Poeſie volgari.

Viva il mio nome in bocca de' famoſi
Poeti, ch' io non men de' divi adoro,
E voi narrate in van ſoghi vinoſi.
Parli di me il Pontan, quel bel teſoro
D' Apollo, e dell' Aoniae ſorelle,
Che con la lingua ſparge un fiume d' oro.

Dipinto io ſia nell' Opere eterne, e belle
Del mio gran Sannazar, vero Syncero,
Che allora io giugnerò fino alle ſtelle.
E 'l lume di Ariſtotile, ed Omero
Mi laude, io dico Pardo inſigne, e chiaro,
Per gemino idioma al Mondo altero.
Altilio, e 'l Galateo Fiſico raro,
E 'l Summontio d' ingegno, e di virtute
Ornato, ed agli Amici dolce, e caro.

IDEM.

E voi, che per occulti alti ſentieri
Mi conduceſte al glorioſo Regno,
Prendete i mie ſagri verſi ſinceri.
Sò ben, che trovarete aſſai più degno
Sacerdote di voi Pieride Dive,
Ma non più pio, nè più fedel ingegno.
Queſto cantava a i lauri, a l' aure eſtive
Tra 'l mio Summontio, Pardo, e Galateo,
Anime eternamente al Mondo vive.

BELLISARIUS AQUIVIVUS
Primus Neritinorum Dux in Epiſtola
ad ipſum Antonium.

Quod in libellis tuis me ſæpius adpellare promittis, facies prò conſuetudine tua, prò inſtituto, prò tua in me benevolentia, memor Ciceroniani *illius amicitiam propinquitati ſemper eſſe præferendam; nam ex propinquitate benevolentia, ex amicitia autem nullo modo. Quod verò ſcribis, parvo labore, ſi velim*

ſi velim ex ingenii mei acumine de armorum, literarumve præſtantia ſententiam tuam refelli poſſe, eamque petis à me laudari facerem, nè ſatis mibi præjudicaſſe viderer, quum tanta ſit Authoritas tua, tantus verborum ornatus, ac in ſcribendo ſententiarum gravitas, ut contradicere Galateo non facile quiſquam poſſit.

JO: BERNARDINUS BONIFACIUS
Uriæ Marchio, Eques quidem doctus, ſed parùm erga Catholicam Religionem affectus, ab ea enim impiè deficiens, ad Hęreticos profugit.

In Epiſt. ad Aloyſium Giorgio Venetum.

Liber eſt ab Antonio Galateo Lycienſi, Philoſopho, & Medico celeberrimo inſcribitur de ſitu Japygiæ, in quo ceu in Tabula ob oculos tibi omnia ferè hujus Regionis noſtræ loca proponuntur . . . Scripſit namque Vir ille præclariſſimus multa doctè, & ſcitu digniſſima, nec immeritò à magno Pontano noſtro tàm honorificè celebratur in ſuis Endecaſillabis, & alibi: & doctiſſimus ille veſter Hermolaus Barbarus peculiarem illi Paraphraſim Themiſti in Ariſtotelis Phyſica dicavit. Non tacebo inſuper benemeritum quoque fuiſſe de inclyta, & feliciſſima iſta Republica, ut ipſe multis in locis teſtatur, prę cipuè verò in quadam ſua Epiſtola, quam nobiliſſimo Viro Loyſio Lauredano Patritio veſtro ſcripſit, in qua Graphicè ipſam exprimere, & laudare compendio tamen conatur.

IDEM.

In Epiſt. ad Vincentium Cappello.

Quumque nobiliſſima Baſilea inter cætera, quæ ei divinitus donata in libris doctè, pulchrè, & ornatè excudendis principem locum ſibi meritò vindicaverit, mittimus ex librorum genere munuſculum; quod licet parvum ſit, tamen ex Authoris pretio, & offerentis animo potius, quàm ex chartarum numero metiendum eſt. Is namq; author fuit, qui à te (uti ſpero) non indoctus cenſebitur, à cæteris verò doctis Viris, non vereor, quia, & doctus & diſertus; Nomen illi fuit Antonius Galateus peritiſſimus in Philoſophia, & Medicina, Græcarum Latinarumq; literarum non ignarus. Opuſcula inſcribuntur. De Situ Elementorum; Alterum De Situ Terrarum.

QUINTUS MARIUS CORRADUS

In Epiſtola ad Marcellum Corradum germanum fratrem,

Amicitiam mihi intercedere cum Joanne Antonio Pallia non ignoras; hic ſepius à me per literas petiit, ut iis in locis quærerem Antonii Ferrarii librum, qui de Sallentinorum Situ ab eo ſcriptum eſſe dicitur. Proximis verò literis quæſtus eſt, quod ſibi de re tam parva nihil hactenus reſponderim, meq; rogavit, ut tibi hujus Libri perquirendi negotium darem. Literarum illius ad te exemplum miſi. Quamobrem te rogo, Frater, quantum me amas,

quantum

Digitized by Google

quantum te amari à me ſcis, tantùm incumbas ad hanc meam, & Palliæ amiciſſimi noſtri, & doctiſſimi hominis voluntatem. Effice omni ſtudio, labore, diligentia tua; & amicorum omnium, ut eum Librum ubicumque ſit habere poſſimus. Quando autem deſcribere illum certè oportebit, ego pecuniam Scriptori ſolvam. Illud exiſtima nullam me hac in re accepturum excuſationem tuam; nam pręter Librum ipſum, nihil erit aliud, quod mihi ſatisfaciat. Eſſe verò illum apud multos in iſta Urbe neceſſe eſt, in qua Ferrarium, qui illum noverunt, in literis ajunt eſſe mortuum.

SCIPIO AMMIRATUS

Iſtoria delle Famiglie Nobili Napolitane

Parte 1. fol. 99.

Antonio Galateo huomo peraltro molto erudito nel Libro ch' egli fece del Sito della Japigia.

PAULUS JOVIUS

Elog. Viror. liter. illuſtr.

Hic è Salentino extremi Italiæ angulo perilluſtris Medicus, atque Philoſophus, ſtudia, quæ ſectabatur, optimis literis expolivit, extenditque ingenium uſque ad Poeticam laudem; ob id à Pontano, Hermolaoque graviſſimè celebratus, ejus extant pręter hetruſca carmina, & Phyſicæ queſtionis ſubtiles libellos. Japygia corographicè deſcripta, quæ meo judicio cum antiquis comparanda videtur; ſed tùm lepore, & urbanus apparuit, quum in cura-

tione Podagræ leniendo dolori, ejuſque inſanabilis morbi encomium feſtiviſſimè cecinit.

BARTOLOMÆUS CHIOCCARELLus
De Script. Regni Neapol.

Antonius Galateus, licèt ex familia de Ferrariis, cognomentum tamen à Patria ſortitus, quæ Galatula illi fuit, nobili Oppido Hydruntinæ Provinciæ, ſeu Japygiæ (quam & magnam Græciam dixerunt veteres, & adhuc Græci homines miſti incolunt) Philoſophus fuit, ac Medicus celeberrimus, in Mathematicis, ac Coſmographiæ ſtudio benè verſatus, Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus .... Ferdinandi Senioris Neapolitanorum Regis Medicus fuit, & Regni Archiater, Pontani, Sannazarii, aliorumque ex Pontani Academia virorum inſignium familiaris, multa ſcripſit ſcitu digniſſima, doctè quidem, & eleganter......

JOANNES GEORGIUS SCHENCHIus
Biblioth. Medic. fol. 57.

Antonius Galateus Italus Medicus proditur ſcripſiſſe quàm doctè, & eleganter, quæ num ædita ſint, & an abſolutè argumenti medici ſint, ambigitur.

CHRISTOPHORUS CÆCUS
FOROLIVIENSIS:
Cronica della Magna Grecia pag. 12.

Diede gran fama a queſto luogo (cioè Galatone) Antonio cognominato il Galateo digniſſimo Filoſofo e Medico, e Poeta, fu anco Coſmografo, & eloquente

quente Oratore, come ſi vede nella Tavola della Coſmografia.

LEANDER ALBERTUS:

Deſcritione d'Italia.

Diede gran ſama à queſta Patria Antonio detto il Galateo dal luogo, Filoſofo, Medico, Oratore, Poeta, ed eccellente Coſmografo, come facilmente ſi puol conoſcere dalle Tavole della Coſmografia, ſottilmente da lui deſignate, come ſcrive Razzano, che le vidde.

GERARDUS JOAN. VOSSIUS:

De Hiſtor. latin. lib. 3. pag. 618.

Eadem ætate clareſcebat Antonius Galateus, qui natus fuit Galatinæ Sallentinorum Oppido: erat Philoſophus, Medicus, & quidem Poeta, & Coſmoprapbus, cujus Tabulas à ſe viſas laudat Roſſanus, & ex eo Leander in Italia ſua. Sanè quantus vir fuerit, ſcire poſſemus ex Endecaſillabis illis, quibus eum celebrabat Jovianus Pontanus. Item ex eo, quod ſummus vir Ermolaus Barbarus dicavit illi Paraphraſim Themiſtianam 8 librorum, phyoichīs achroādeos, *latinè à ſe converſam, quam anno ædidit 1480, præter carmina hetruſca, & quæſtiones Phyſicas; etiam compoſuit Commentarium de Situ Japygiæ, Opus judicio Jovii cum antiquis comparandum. Sanè eo magis meretur fide qui Patria ei fuerit Japygia quæ eadem hac* Ealatia, *ſeù Sallentina, nam Japygiæ* Oppidum *eſt Galatina,*

latina ubi ſe natum eſſe ait ipſe, eo, quo dixi libello, in quo etiam refert ſe prima literarum fundamenta auſiſſe Neriti, quod & ipſum Civitas *eſt Japygiæ antiquiſſima.*

JACOBUS GADDIUS

De Scrip. Eccl. Græc. Lat. & Ital. p. 202.

Galateus Antonius celebrari poteſt in hoc Volumine à nobis, cum celebratus fuerit à celeberrimis Reipublicæ literariæ Senatoribus Ermolao Barbaro, Pontano, Latomo, & Jovio, qui breviſſimo, ſed honeſtiſſimo elogio Galateum inſignivit. Hic Philoſophus, Medicus, Poeta, & Corographus magni nominis edidit præter Encomium Podagræ feſtiviſſimum, & carmina hetruſca, ſubtiles Phyſicæ quæſtionis Libellos, & Japygiam Corographicè deſcriptam, adeò feliciter, ut Joviano iudicio cum antiquis comparanda videatur.

JACOBUS ANTONIUS FERRARI,

Paradoſs. Apolog. Lib. 1. Qu. V. p. 128.

Antonio Galateo Scrittore eccellentiſſimo, ed informatiſſimo dell' antichità della Giapigia, per eſſerci nato, allevato, e doppo morto d' anni 75 conſumato tutto agli ſtudj della Filoſofia, e delle belle Lettere.

JO: CAMILLUS PALMA

In Epiſtola ad Carolum della Monica.

Antonius quidem Galateus, quem per magni certè Jovius facit, illiq; Syncronos Antonius Pontanus.

PAU-

PAULUS MEROLA,

Coſmographia.

Deſcribitur hunc Italiæ, vel ut Horatio in Odis dicitur, terrarum angulum Strabo, & fuſiſſimè peculiari Libello Antonius Galateus Philoſophus, & Medicus doctiſſimus.

MICHAEL MARTIANUS,

Iſtora della Guerra d'Otranto pag. 55.

Antonio de Ferrariis, aliàs il Galateo, Protomedico del Regno, dove per ordine della Maeſtà di Ferrāte ſcriſſe l'Impreſa d'Otrāto, il tutto per relazione, & informaz. sì di Turchi, come di Criſtiani.

ANTONIUS BEATILLUS,

Annotaz. alla Vita di S. Irene V. e M. p. 55.

Il diligentiſſimo Scrittore delle coſe di Terra d'Otranto Antonio Galateo nel Lib. de Situ Japyg.

JO: BOLLANDUS,

Acta Sanctorum Maii Tom. III. pag. 499.

Antonius Galateus eruditus Medicus Hermolao Barbaro familiaris, & (uti nobis ſcripſit Beatillus noſter) anno Mccccxliv natus, mortuus Mdxvii.

JO: BAPTISTA CRISPUS,

Vita di Giacomo Sannazaro.

Antonio Galateo celebre Medico, e Filoſofo di quei tempi, ed amiciſſimo al Sannazaro.

HIERONYMUS MARCIANUS,

Deſcr. dalla Prov. d'Otrāto M.SS. lib. 11. c. v.

Antonio Galateo Filoſofo, e Medico de' ſuoi tempi Eccellentiſſimo. ALO-

ALOYSIUS MORERI.

Dans ſon gran Dictionaire Hiſtorique Liter. A.

Antonius Galateus, ainſi nommè parce qu' il étoit de Galatina qui eſt un Village d' Italie dans le païs des Salantins, ou Terre d' Otrante. Il a vêcu dans le xv Siecle, & a été tres eſtimé par ſon eſprit, & par ſon ſçavoir. Il étoit Philoſophe, Medecin, Poëte, & Géographe. Antonius Galateus dit qué ſes Parens étoient des Pretres Grecs, qui l'avoient élédé avec un grand ſoin dans la connoiſſance des langues, & dans les belles lettres. Il étudia d' abord à Nardò, qui eſt une Ville Epiſcopale dans la Terre d' Otrante, & continua ailleurs avec beaucoup de Succès. Mais pour être mieux perſuadé de ſon merite, & de la conſideration qu' on avoit pour luy, il faut conſulter les eloges, que Paul Jove, & d' autres gens de lettres lui donnent, & les Vers que Pontanus a compoſez à sa lovange. Hermolaus Barbarus en 1480 lui dedia la traduction de la Paraphraſe de Themiſtius en VIII livres, & les Sçauans de ſon tems le conſulterent dans les difficultez qu' ils avoient. Antonius Galateus compoſa de beaux Vers latins, & italiens, de queſtion de Phiſique, & une deſcription de la Japygie, qui comprend une partie de la Terre

d'Otran-

d' Otrante. Paul Jove dit que cette piece peut être comparée à ce que les Anciens ont de plus dèlicat ſur ce ſujet. Nous avons encore de ſa façon une Deſcription de Gallipoli, qu' il dedia à Sannazar, une méthode pour l'étude de la Philoſophie, qu'il intitula de optimo genere philoſophandi, & d'autres Ouvrages trés eſtimez: Sur la fin de sa vie il fut tourmenté de la goute. Pour ſe divertir il compoſa l'eloge de la goute, ſous le titre de laudatio Podagræ. Je ne sçai pas le tems de la mort de ce grand Homme. Il y a apparence que ce fut devant l'an 1490. Les Auteurs qui parlent de luy, n'ont pas eu ſoin de nous marquer ce tems. * Paul Jove in Elog. c. 119. Leandre Alberti. Deſcript. Ital.. Voſſius lib. 4. de Hiſt. Lat.. Caſtell. in Vit. med.

JO: PETRUS MUSURU
Elogia Sacra, Moralia, & Civilia
ANTONIO GALATEO
Epitaphium.

Machaoni, & Minervæ
Proſternite genua, qui hunc tumulum tranſitis.
Idri eloquenti Rivo,
Hac jacenti in concha:
Si lachrymas effunditis piſcaminor uniones:
Quos doctrinæ innectite auro,
Ut Virtuoſi operi annulo deſponſetis digitos.
Hic

Hic dum ſcribebat Antonius,
Calamus degenerabat in palmam.
Latium Epiſtolis tranſmiſit Idruntum:
Hetruriam, Athenemque in Meſſapiam:
Una guttula ſiticuloſam refrigeravit Apuliam.
In articularibus morbis mirus,
Quos & modulamine, & medela curabat.
Medicus, Philoſophus, Orator, Poeta:
(veluti Virtutum Protoparens)
à quatuor Mundi partibus extractus:
In terra felici locandus:
Galatola fuit.
Ut Galateæ vivum ſuum non deeſſet flumen,
Quod undique profluens:
Cuncta ſuperans:
Rupem mortis ſuperare nequivit.
Hic jacet immotum
Et putridum.

ANDREAS DELLA MONICA,
Iſtoria della Città di Brindiſi Lib. IV.
Cap. XI. pag. 534.

Antonio Galeteo Medico del Re Ferdinando, che ſcriſſe tutti i progreſſi de' Turchi nella guerra Idruntina.

ALOYSIUS TASSELLUS,
Antichità di Leuca Lib. 3. cap. 23. p. 518.

Antonio de Ferraris di Galatone detto communemente il Galateo, proteſta, che dalle Scuole di Nardò

Nardò havere ritratto quanto egli sà; e perche da quelle imparò quanto voleva, indi ne avvenne, che fu Medico del Re Ferdinando, Poeta, ed Oratore illuſtre, e Protomedico di tutto il Regno.

NICOLAUS TOPPI.

Biblioteca Napolitana Part. 1. lit. A p. 27.

Antonio Galateo di Lecce Filoſofo, Medico, e Poeta, ricevuto per Medico Regio nel 1511. Eſec. *fol.* 120, *hà dato alla luce De Situ, & antiquitate Japygiæ, l' Iſtoria d' Otranto, Và per le mani de' dotti una Epiſtola latina aſſai larga, ed erudita toccante all' Iſtitutione de figliuoli de' Rè molto bella, e critica: Leggi* Pietro *Caſtellana in Vit. Illuſt. Med. f.* 183. *il* Capaccio, *il Giovio agli Elogi f.* 234.

JO. BAPTISTA PACICHELLUS,

Regno di Napoli in Proſpetiva Part. 2. f. 182.

Chiaro lume di queſta Terra di Galatone fù Antonio Galateo Poeta, *Oratore, Filoſofo, Coſmografo, e Medico ben conoſciuto, cariſſimo a' Regi di Napoli Ferdinando, e Federico, quello appunto, che ſcriſſe nobilmente la Peniſola della Japigia.*

POMPEJUS SARNELIUS,

Lettere Eccleſiaſtiche Tom. 8. Let. IX.

Antonio Galateo Lecceſe Filoſofo, e Medico dottiſs.

DOMINICUS DE ANGELIS,

Vita di Antonio Galateo nella Parte I. de' Letterati Salentini pag. 33.

Antonio de Ferrariis detto communemẽte dalla

ſua

Digitized by Google

ſua Patria il Galateo, di cui imprendo preſentemẽte a ſcrivere la Vita. Egli dopo continue, e grandiſſime applicazioni ne' ſtudj, dopo molti, e lunghi viaggi; doppo di aver praticato le migliori, e le più principali Corti d' Italia, dopo di aver ſcritto varie Opere dottiſſime, degne tutte della ſua gran mente, e dopo di eſſere ſtato molto caro a tutti i Letterati, ed alla maggior parte de' Prencipi del tempo ſuo, avanti di rendere lo Spirito al ſuo Creatore, rivolto a' circoſtanti gli diſſe: Ora che io cominciava a ſapere m' è duopo di por fine agli ſtudj; ed ora che principiava a conoſcere il Mondo ſono neceſſitato ad abbandonarlo. Ed in vero, ſe foſſe egli vivuto più lungamente, non ſolo averebbe recato grandiſſimo giovamento a tutta la ſua Provincia coll' uſo della Medicina, nella quale fù ſopra tutti i Profeſſori dell' età ſua ſommamente in iſtima; ma li ſarebbe vennto fatto di dar compimento, e perfezione à tante opere dottiſſime che intorno a varie Scienze aveva egli ſcritto, e delle quali con tanto ſenno, ed accorgimento aveva molto ſaggiamente trattato.......

ELIAS DE AMATO M. ORD. CAR.

Pantopologia Calabra pag. 349.

Antonius Galateus Regis Alphonſi Philoſophus, & Medicus præſtantiſſimus, qui de Hydrunti Bello optimè ſcripſit.

JO:

JO. BERNARDINUS TAFURUS,
Ragionamento Iſtorico degli Antichi Studj, Accademie, ed Uomini Illuſtri Neritini.

Antonio de Ferraris detto dalla ſua Patria il Galateo, il quale tamdiù vivet, qnādiù erunt latinæ literæ, *in queſti noſtri congreſſi Accademici s' eſercitò, ond' è che divenne quel gran Medico, quel gran Filoſofo, Matematico, e Poeta.*

ANTONIUS SANFELICIUS
Neritinorum Epiſc. Annotationes in lib. *De Situ Campaniæ* Antonii Sanfelici pag. 95.

Antonius Galateus Philoſophus, & Medicus preſtantiſſimus tres de leniendo dolore Podagræ libros ſcripſit ad Gabrielem Altilium Policaſtrēſem Epiſcopum politioribus literis, & poetica ſacultate clarum.

ANONYMUS
Note alla Vita del Sānazaro ſcritta dal Criſpo

Nell' Accademia del Pontano, giacche l'occaſione ci ſi preſenta, celebre in tutta Europa, erano aggregati i primi Valentuomini di quel Secolo, ed amici del Sannazaro. In prima de' noſtri Napolitani del Segio di Nido furono Trojano Cavanilla Conte di Troja, e di Montella, Ferdinando d' Avolos Marcheſe di Peſcara, Belliſario Aqueviva Duca di Nardò . . . . . Del Regno vi furono Gabriele Altilio di Lucania Veſcovo di Policaſtro, Antonio Galateo di Lecce . . . . . .

OPU-

OPUSCULA
ANTONII GALATEI,
Quæ infra, poſt Librum
DE SITU JAPYGIÆ,
inſcribuntur.

Epiſtola ad Loyſium Palatinum. pag. 139
Deſcriptio Urbis Callipolis, ad Sommontium. pag. 143
Epiſtola ad Belliſarium Aquivivum Neritinorum Ducem. pag. 169
De Villa Vallæ, ad Accium Syncerum Sannazarium. pag. 173
In ALPHONSUM REGEM Epitaphium. pag. 178
Epiſtola ad Ugonem Martellum Epiſcopum Lupienſem. pag. 190
Epiſtola ad Julium II. Pontificem Maximum de Donatione Conſtantini Imperatoris facta Eccleſiæ. pag. 193
Ad Loyſium Lauredanum de Laudibus Venetiarum. pag. 201
Epigrammata ejuſdem Authoris. pag. 209

ANTO-

ANTONII DE FERRARIS GALATEI

DE SITU JAPYGIÆ,

Ad Jo: Baptiſtam Spinellum Comitem Choriati,

CUM NOTIS

Joannis bernardini Tafuri.

QUÆ nunc Italia dicitur, ab Alpibus ortum habens, ſupero, & infero mari abluitur, inque ortum hybernum, & meridiem porrecta, perpetuis Apennini jugis, duabus peninſulis, ſeu [ut Græci dicunt] cherſoneſis, finitur. Quæ quaſi vertices ſunt, ſeu coni bifidæ arboris. Hæ peninſulæ, & interiacens ora, antiquis temporibus non ſolùm cæteris terris: ſeu ipſi quoq: Græciæ prælatæ (1) ob ingentem, & urbium, & viro-

(1) *Ob ingentem, & Urbium, & virorum nobilitatem . . nomen ſibi magnæ Græciæ vindicavere*) Marcus Tullius Cicero in 4. Tuſcul. Quæſt. Lib. *Quis eſt enim, qui neſcit, quum floreret in Italia Græcia potentiſſimis, & maximis Urbibus,*

& virorum nobilitatem, & cœli clementiam, & ſoli ubertatem [Græcis omnibus conſentientibus] nomen ſibi magnæ Græciæ vendicavere.

Urbibus, eaque magna Græcia dicta eſt. Idem Cicero ſcribere videtur à Virorum illuſtrium copia, & bonarum artium præſtantia eamdem Regionem id ſibi nomen adſciviſſe. *Plus*, inquit, *antiquorum apud me auctoritas valet, vel noſtrorum majorum . . . . vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam* (quæ nunc quidem delata eſt, tunc florebat) *inſtitutis, & preceptis tuis erudierunt*. Plinius lib. 3. hiſtor. natural. Cap. V. ſcribit: *Græcos homines in ſui laudem effuſum quotæ Italiæ parti Magnæ Græciæ vocabulum, & nomenclationem indidiſſe*. At verò quemadmodum obſcurum apud Viros doctos, & antiquarum rerum peritos eſt, unde *Magnæ Græciæ* nomen deſignatæ ab Antonio Galatéo Italiæ Regioni factum ſit, ita incertum quouſq; ejuſdem Magnæ Græciæ fines antiquitus protenderentur. Plinius lib. 3. Cap. 10. affirmat ab Urbe Locrenſi cæpiſſe frontem Italiæ, cui Magna Græcia nomen factum, eamque fuiſſe complexam tres Auſonii Maris ſinus, quod L X X X millibus paſſuum juxta Varronem, vel LVVII juxta alios extenditur, deſignatque Oppida, & Flumina, quæ ad Tarentum Urbem ſua ætate vigebant Ptolomæus in Tabulis Geographicis non videtur diſſentire à Plinio, Cornelius Muſſus Bituntinus Epiſcopus in Oratione Panegirica *De Chriſtiana Sapientia*, Neapolim Magnæ Græciæ Caput appellavit: quæ Petro Leſêna teſte in lib. *De Gymnaſio Neapolitano* Cap. IX. univerſum Neapolitanum territorium complectebatur, & Italiam. Huic opinioni favet Ovidius: *Itala nam Tellus Græcia major erat*. Non deſint tamen, qui contractiores Magnæ Græciæ limites conſtituant: è quorum numero ſunt Flavius Blondus, Ferrarius, Michael Antonius Boudrant, Leander Albertus, Henricus Baccus, Thomas Coſtus, & alii.

Digitized by Google

cavere. Nunc afflictis, ac perditis priſcorum Græcorum rebus, & dehinc deleto in Oriente Romano imperio, hæc quoque ora ſimul concidit, & ut quondam Græcis totum ferè internum mare, Maſſiliam, & Aphricæ oram, Ægyptum, Syriam, Aſiam, Græciam, & majorem Italiæ partem, Siciliam, Cretamq; tenentibus, hæc ora in umbilico erat Græciæ; ſic nunc diviſo, imò potius diſciſſo terrarum orbe, & Græcis, Latiniſque diſſentientibus, & Saracenis, Turciſque rerum potitis, in extremo penitus angulo eſt. Omnes hujus oræ urbes percurrere, & illarum res geſtas narrare, non eſt propoſiti noſtri, nec tantum mihi à laborioſiſſima arte mea ocii conceſſum eſt. In hac Hydruntum, Callipolis, Neritum, & unde mihi antiqua origo eſt, Calatana, Brũduſium, Tarentum, Metapontus, Heraclea, Turii, Sybaris, Croton, Locri, Rhegium, Meſſana, Syracuſæ, & ut mihi conſtituam, tales erant; quondam hæ urbes, quales, quæ nunc in Italia habentur nobiliſſimæ. Hic à Pherecide Syro, fluxit Italica philoſophia: hìc Pythagorica diſciplina: hìc mores, hìc apud Græcos [teſte Ariſtotele] prima benevivendi inſtituta, primi convictus. Primi leges ſcriptas dedere Thurii, apud quos Græcæ hiſtoriæ pater Herodotus ſuas ſcripſit

 Muſas.

Muſas (2). Nunc tempore, & vetuſtate omnia collapſa ſunt. Nunc incoſtans, ac lubrica fortuna, quæ res hominum, atque Imperia ipſa, nunc huc, nunc illhuc agitans, omnia permiſcet, ac perturbat, aliò vertit ſua munera. Hæc eadem regiones, urbes, gentes, linguas, familias, nunc has extollit, nunc eaſdem deprimit. Quin etiam, & ipſas regum, & populorum leges, & varias religiones, & ipſa philoſophiæ (ut Ariſtoteles ait) ſcita, & dogmata, permutat. Nihil eſt in tam magno, ac volubili opere, quod firmum, aut ſtabile ſit. Extrema totius oræ duæ ſunt [ut dixi] peninſulæ. Quæ ad meridiem ſpectat, & ad Siculum vergit fretum, paulò majori ambitu cingitur, clauditur Iſthmo, qui eſt à Scyllaceo, ad Hipponiatem ſinum, ſeu [ut Ariſtoteles ait] à Scylletico, ad Lameticum, inter utrumque eodem Authore, iter eſt mediæ diei. Strabo ſpacium eſſe ait (3) CLX ſtadiorum. Nuſquam anguſtiorem eſſe

Ita-

(2) *Herodotus ſuas ſcripſit Muſas*) Legge Hieronymum Henniges in Tom. 1. fol. 209 *ſui Teat.* Hieronymum Marafioti in ſua *Calabria* Cap. IV. Jo: Flore in *Calebria illuſtruta* lib. IV. fol. 375. Eliam de Amato Ord. Carmel. Amicum noſtrum in ſua erudita *Pantelegia Calabra* fol. 433.

(3) *Strabo ſpacium eſſe ait*) in lib. VI. *Geograph.*

Italiam Plinius ait (4). Hæc eſt propriè dicta Italia, ab Italo rege, unde Virgilius (5) Ariſtotelis ſententiam ad verbum referens ait:

Oenotrii coluere viri, nunc fama minores,
Italiam dixiſſe Ducis de nomine gentem.

Hunc univerſæ Italiæ nomen dediſſe certum eſt. Propagatum inde nomen, Campaniam, & Latium comprehendit, & à ſupero mari, Salentinos, Apulos, Frentanos, Marſos, Picenos, inde Hetruriam, & Liguriam, uſque ad Varum amnem, & Alpes Venetiæ, & uſq; ad confinia Illyridis. De univerſa Italia dicere, nec propoſitum mihi eſt, nec otium. De altera peninſula, quæ Orientem ſpectat, pauca de multis perſtringere me oportet, quoniã id tibi placere video, cujus juſſis jure mihi ſemper parendum eſt. Ut illa [quemadmodum diximus] à Scyllaceo, ad Hipponiatem ſinum, ſic, & hæc, à Brunduſio Tarentum, & Iſthmo, ſed longiori clauditur. Sunt enim à Brunduſio Tarentum, millia paſſuum circiter XL à Tarento Callipolim, millia paſſuum L. Inde Japygium promõtorium, [quod alii Salẽtinum, alii Salentum, Græci Acram Japygiam appellant] millia paſſuum xx. Inde

(4) *Plinius ait*) in lib. 3. Natur. hiſtor.
(5) *Unde Virgilius*) in lib. 3. Æneid.

Digitized by Google

Hydruntum, quod teſte Leonardo Aretino, ultimum eſt Calabriæ, millia paſſuum xxxi (6) Hinc Brunduſium L. Tutus ambitus eſt cxc millia paſſuum. Ut illa Leucopetra, cui navigantes temporis noſtri, à diſcrimine ventorum, nomen indiderunt; ita hæc Japygio promontorio terminatur; quibus apicibus, maximè in mare excurrit Italia. Utrunque extremum finis eſt Apennini. Nam ut Italia, ſic & Apenninus bifurcatur: & ut Italia Alpibus, ſic & Japigia, montibus circumſepta eſt, non nimis altis, ſed lapidoſis, & nemoroſis. Hi ultrà Brunduſium, & Tarentum, ferè ad utrumque mare deſcendunt. Sunt qui Iſthmum ponunt, ab Egnatia, & Monopoli, uſque Tarentum: id ſpatium xxx millium paſſuum, eſſe dicunt. Ab extrema Japygia, ad

(6) *Hinc Brunduſium L totus ambitus eſt CXC millia paſſuum, ut illa Leucopetra, cui navigantes temporis noſtri è diſcrimine ventoram nomen indiderunt, ita hæc Japygio promontorio terminatur*) Locus vitioſus, quem Vir eruditus Joannes Juvenis libro 2. de Antiquit. & varia Tarent. fortuna Cap. IV. pag. 43 ſic emaculat, & emendat: *Corruptiſſimam, & mancam hujus loci lectionem, quam nos ex veteribus M. SS. Codicibus ſic reſtituimus: Hinc Brunduſium L totius Regionis ambitus* CXC *millia paſſuum, ut illa Leucopetra, cui navigantes noſtri temporis à diſcrimine ventorum* Capo di ſpartimento *nomen indiderunt, ità hæc Japygio Promontorio terminatur.*

ad ſyrtis magnæ intimos receſſus, maxima mediterranei maris latitudo eſt. Sunt enim millia paſſuum ferè octingenta. Ab hac eadem ad interiora ſinus Corynthiaci, quatuor millia, & quingenta ſtadia. Ad Acroceraunios montes, & Lacinium promontorium par eſſe ſpatium, auctor eſt Strabo, hoc eſt, ſeptingentorum ſtadiorum, quæ noſtra computatione efficiunt LXXXVII mill. D paſs. Idem à Caſſiepia Corcyræ Brunduſium, & ab altero Caſſiepiæ cornu, uſque Tarentum, ſtadia ſunt M.D.CCXL, hoc eſt, Romana computatione, mill. paſſ. CCXXVII. Recentiores navigantes ab Hydrunto ad Thonon inſulam, quæ oſtio Adriatici ſinus obiicitur, LX millia paſſuum eſſe dicunt: à Thono Corcyram XL. Oſtium Adriatici ſinus, ubi breviſſimum eſt ſpatium, L millia paſſuum, hoc eſt, ab Hydrunto, ad Acroceraunios montes. Hæc regio, ſi Ptolemæo credimus, ad cœlum relata, Leoni, & Soli ſubjicitur, ut & tota Italia: ſed Apulia præcipuè. Hæc, quoad terrarum ſitum attinet, temperatiſſimam Orbis partem ſortita eſt. Ut, & altera peninſula quartum ſcilicet clima: (7) quod

A 4 quan-

(7) *Quod quantum ad cognomen, & umbras Solis) Quod*

quantum ad cognomen, & umbras Solis, ſi aliqua res terreſtris non obſtiterit, temperatiſſimum eſſe, & ratio, & experientia ipſa, & plurimorum conſenſus affirmat: quamvis Avicenna, & Averroes, ab antiquorum ſententia, & inter ſeipſos diſſentiunt. Alter, quæ ſub æquinoctiali, plagam temperatiſſimam eſſe opinatus eſt, alter, quintum clima laudavit, in quo ſe eſſe credidit, quum fuerit, ſi Cordubæ vixit, in quarto. Utriuſque opinionem in libello noſtro de Eucraſia confutavimus. Averrois opinionem, nemo, quem ego ſciam, ſecutus eſt. Avicennæ conſentit Aponus, & Albertus qui libellum de natura locorum ſcripſit, ubi ſe multa ex Platonis, & Ariſtotelis epiſtolis collegiſſe aſſeverat. Sed ſi temperatiſſima Orbis loca cognoſcere cupis [his

Quod quantum ad Gnomonem, & umbram Solis, ita locum reſtituendum, & ratio, & M. SS. Codices perſuadent, quod longè optimum nobiſcum communicavit Juvenis eruditus, ac humaniſſimus Joannes Baptiſta Pollidorus Trentanus Amicus noſter, qui politiarum literarum cultui selectam etiam rerum antiquarum doctrinam, & intimam notitiam adjungit. Gnomonem quò Solis umbram metiri ſolemus, Plinius ſenior lib. 2. cap. 17. Umbilicum Solis nominat. *Solis itaque* Umbilici *ſcribit, quem Gnomonem appellant, umbra in Ægypto meridiano tempore equinoctii die paullò plus, quam dimidiam Gnomonis menſuram efficit. In Urbe Roma nona pars Gnomonis deeſt umbræ.*

[his namque menſurantur cætera ; nam rectum eſt index ſui, & obliqui] ne pigeat inter tot curas hæc quoque legere, quæ nonnihil ad civilem uſum conducunt. Earum, quas Alfraganus, & cæteri Arabes ſcripſere regionum urbiumque nomina, nec mihi nota ſunt, nec illis, ut puto: non ſolùm locorum, ſed ſtellarum, & auctorum, & [quod vitæ intereſt] herbarum quoque nomina Arabes corrupere: unde rerum ignoratio non parva orta eſt. Placuit noſtris potiùs è turbidis barbarorum rivulis, quàm è Græcorum puriſſimis fontibus hauſiſſe Philoſophiam, Medicinam, cæteraſque diſciplinas: ſed ad propoſitum redeamus. Quartum clima ex Italia non niſi, quæ citra Neapolim, & Garganum montem ſunt loca complectitur. Incipit ab occiduo Oceano, continet Gades, Sacrum promontorium, & oram Oceani uſque ad Lunæ promontorium, quod eſt in Luſitanea. Medium freti Herculei, quod inter tertium, & quartum clima jacet, Abyla in tertio, in quarto Calpe exiſtente: omnem Bæticam, & partem Luſitaniæ, & omnem oram Hyſpaniæ interni maris uſque Barcinonem, Ebiſum, & Baleares inſulas, Sardiniam, & partem Corſicæ, Siciliam, & adjacentes inſulas, & Italiæ partem à Leucopetra uſque Neapolim, & ab extrema

Digitized by Google

trema Japygia uſque ad Garganum montem, & Luceriam Apulorum, Macedoniæ partem ferè uſque Dirrachium, Acroceraunios montes, & omnem oram Aepiri, Corcyram, Cephaleniam, Iacinthum, ſinum Corinthiacum, omnem oram Aetoliæ, & Acarnaniæ, Iſthmon, & mediam Peloponneſum, Actidem, Acajam, Beotiam, ſinum Therniaicum, Theſsalonicam, uſque Athon montem, Stagiram, Lemnon, Eubœam, & maximam partem Aegæi pelagi, Tenedon, Leſbon, Chion, Con, Samon, omnem oram Aſiæ minoris à Tenedo, & Sigæo, & Helleſponto uſque ad Gnidum: & à Gnido uſq; ad Iſſichum ſinum, & partem Syriæ uſque ad terminum tertii climatis in muris medio Hieroſolymorum civitas eſt ſita, qui terminus eſt juxtà Alexandriam. Pieriæ cōtinet, & Rhodi oram, quæ Septemtrionem ſpectat, & Cypri Cromiorum tantùm extrema, Mœſiam, Aſiam minorem propriè Meoniam, Aeolidem, Cariam, Pamphiliam, Liciam, Ciliciam, utriuſq; Armeniæ partem, & partem Meſopotamiæ, partem Aſſiriæ, Mediam, & partem littoris Hyrcani maris, Hyrcaniam, Parthiam, partem Margianæ, Ariæ, Paropaniſi, & Battrianæ, & Sogdianæ, & Satarum regiones, & terram incognitam. Latius

quàm

quam par erat digreſſus ſum, ſed operæ pretiũ hæc noſſe civili viro, ſed maximè philoſopho, & medico, quos regionum, & Orbis totius ſcientiſſimos eſſe oportet. Primum munus eſſe medici Hippocrates cenſet, contemplari tempora, & regiones. Idem re monſtravit, quod opinatus eſt; nam libellum ſcripſit de aëre, & aqua, & regionibus, de Aſia præcipuè, & Europa: & in calce admiradi illius Prognoſticorum libelli, ſic ait: Quæ diximus in Aethiopia, & Heſperia, & Septemtrione experti ſumus: certè hominum mores, ingenia, & craſes, quas complexiones appellavere, ex ipſis regionibus judicantur, Ariſtotele in Problematis & Galeno in libello de virtutibus animæ teſtibus. Ego ſecundùm Ptolemæi deſcriptionem, principium quarti climatis ad latitudinem XXXVI graduum, finem verò unius, & quadragita poſui: nec me latet quoſdam trigeſimum, & trigeſimum quartum ferè fines poſuiſſe, atque alios aliter. Galenus temperatiſſimam Orbis partem, ſeu zonam Con inſulam Hippocratis patriam judicavit, & Gnidum, & regiones, quæ parum ad Arcton, aut ad Auſtrum ſecedunt. Averroes quoque hoc idem confeſſus eſt, auctoritate Galeni, Græcorum terram temperatiſſimam, præcipuè patriam Hippocratis. De-

mon-

Digitized by Google

monſtratum ſatis, ut puto, eam regionem, cujus ſitum, atque urbes cognoſcere diu optaſti, ex ſegmentis terrarum temperatiſſimum obtinere. Hæc inſularum omnium, peninſularumque ocellus quondam fuerat. Hæc eſt de qua Horatius cecinit (8). Hanc cherſuneſum variis nominibus à diverſis auctoribus ſubinde appellatam fuiſſe compertum habeo: (9) alii [ut Ariſtoteles, Herodotuſque] Japygiam

(8) lib. 2. Car. Ode 6. *Dulce pellitis ovibus Galeſi*
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.
Ver ubi longum, tepidaſque præbet
Juppiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Phaleniis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces, ubi tu calentem
Debita ſparges lacbrima favillam
Vatis amici.

(9) *alii (ut Ariſtoteles, Herodotuſque) Japygiam.* Variæ de hujus nominis origine ſunt Scriptorum Sententiæ, ea tamen videtur communior, quæ id nomen noſtram

giam dixere : (10) alii Salentinam : Peucetiam alii : (11) alii à Duce Meſapo Meſa-

piam :

---

noſtram hanc Regionem á Japyge Dedali filio accepiſſe , quod teſtatus eſt Solinus Lib. VIII. & Auctor noſter in hoc eodem Opere de *Situ Japygiæ* . Alii ab Japyge vento ex Apuliæ ora proficiſcente, quem eundem , & Caurum Aulus Gellius Lib. 2. eſſe judicat. Eſt enim ventus occidentalis , & utilis Græciam petentibus ex Italia, ut teſtatur Horatius Lib. 1.Carminũ

Sic te Diva potens Cypri
Sic fratres Helenæ lucida ſydera
Ventorumque regat Pater
Obſtrictis aliis , præter Japyga.

Lucanus Lib. VI.

Excipit adverſus Zephiros , & Japyga Pindus

Virgilius 8 Æneid.

Illam inter cædes pallentem more futura
Fecerat ignipotens , undis . & Japyge ferri.

(10) *Alii Salentinam*) Quod ad Salentinum Regionis nomen attinet, Salentinos populos ſic nonnulli dictos putant á Salentino Promontorio, quod in eſtremis hujus Peninſulæ finibus ſitum eſt . Feſtus ſic appellatos mavult à Salo , ob id fortaſſis , quod circum quaque ambiatur á Mari , tenui tantum Iſthmo continenti, ortos autem eoſdem ſcribit ab Illyricis , qui ſocietate cum Locris inita hiſce in locis conſedere Marcus autem Varro , quem jure Lactantius Firmianus in Libro *Divinarum inſtitutionum* Romanorum doctiſſimum dixit in Tertio *humanarum* Libro à Fide, quod iidem Populi cum cæteris in Salo percuſſere , voveruntq; ſe pacificé ſub Idomei Cretenſis Regis Imperium eſſe victuros , id nomen ſuſcepiſſe commemorat.

(11) *Alii à Duce Meſſapo Meſſapiam*) Hujus illu-

ſtris

piam; alii magnam Græciam; alii Apuliam, *apò tū apòlesthē*: eo quòd hic celerius, quàm alibi arbores dejiciunt ſolia: alii Calabriam: nam quæ nunc Calabria, Brucia quondam dicebatur, tantùm eſt nominum, rerumque varietas, atque mutatio. Quæ de hac regione ſcribit Strabo ad verbum referam: Terra deinceps Japygia, non ſine admiratione commoda oppido eſt. Nam cum in ſuperno tergo aſpera videatur, ubi aratris panditur, altioris fertilitatis glebas invenies: cumq; aquarum indiga eſt, nihilominus læta ſuppeditat paſcua, & arboribus referta ſpectatur. Hæc etiam omnis regio aliquando copioſa admodum mortalium multitudine floruit, & tredecim urbes habuit: nunc autem excepto Tarento, atque Brunduſio, cætera exigua ſunt oppidula, adeò abſumptæ ſunt vires. Salentinos Cretenſium fuiſſe coloniam, memoriæ prodi-

ſtris Ducis in hanc Regionem adventum noſtrates Scriptores in annum ab Orbe condito bis milleſimum octingenteſimum ferè reiiciunt, qui ingenti, quem ſecum aduxit, Græcorum copia facile terrarum tractum occupavit, ubi & Colonias conſtituit. Hinc Pomponius Feſtus *Meſſapia, Apulia à Meſſapo Rege appellata*. Ab hoc non modo Regio, ſed & pręcipua Regionis lingua Meſſapia nomen ſumpſit, de qua loquitur Strabo lib. 6 *Geograph.* nonnullas eadem lingua exaratas priſcas Inſcriptiones exhibet Hieronymus Marcianus in *Deſcriptione Provinciæ*.

proditū eſt: hæc ille. Hæc regio quamvis nunc effœta, & annoſa ſit, tamen Hyſpanorum, Gallorum, Italorum, & præcipuè Campanorum, qui ameniſſimam Italiæ partem incolunt: Græcorum quoque, & Turcarum judicio pulcherrima, atque apprimè optima judicatur. Fruges, olera, fructus præſtantiſſimi ſunt: triticum, & hordeum valetiſſimum eſt: avena hujus regionis cum hordeo, & hordeum cum tritico aliarum certare poteſt: Paleæ medullis plenæ vehementiſſimè alunt: braſſicæ, cepæ, intubi, raphani, cucurbitæ, fabæ in immenſam creſcunt magnitudinem: melones maximi, atque optimi ſaporis: citria ubique benè proveniunt: (12) herbæ quæ in uſus medicos veniunt, aliarum ejuſdem generis omnium efficaciſſimæ: cœlum ſalubre, ſolum non aridum, non paluſtre, aquas habet pleriſque in locis ſalientes, & in pleriſque fontanas: bovum, & aſinorum ſpectatæ magnitudinis corpora gignit, & mulorum genus

(12) *Herbæ, quæ in uſus medicos veniunt, aliarum ejuſdem generis omnium efficaciſſimæ*) Donatus Antonius Giuranna Philoſophus, & Medicus experientiſſimus præcipuum librum ſcripſit de *Medicis herbis*, quæ ex univerſo Sallentinorum Territorio proveniunt, M. SS. Auchor reliquit: laudat tamen illum Jo: Juvenis Lib. VIII citati Operis Cap. I. fol. 94.

genus laudatiſſimum. (13) Sunt qui Italiam à vitulorum magnitudine dici exiſtimant: homines placidos mitiſſimorum morum, boni ſenſus, non fallaces, non ſubdolos, ſed regionis natura non ſatis bellicoſos; ſed ob fœdera ſervanda, & ob honorem fortiſſimos, ut audies. Fit enim, ut qui temperatas terras habitant, plus ingenii habeant, & humanitatis, & meliorem corporis temperaturam: ſic minus audaciæ, ac immanitatis; exemplum ponit Cicero, de Græcis, & Cymbris: & Hippocrates de Europæ, & Aſiæ gentibus. Qui manſuetior eſt, plus ad hominem, qui animoſior, plus ad belluam accedit. Diſpereant, qui principatum animalium audaciſſimis, rapaciſſimiſque dedere. Non necerat decentius, & naturæ magis conſentaneum bovem, aut ovem, aut equum, gallum, aut pavonem, animalia

(13) *Sunt qui Italiam à Vitulorum magnitudine dici exiſtimant*) M. Varro lib. 2 de *Re Ruſtica*. *Denique Italiam à Vitulis, ut ſcribit Piſo*, Romanorum *verò Populum à Paſtoribus eſſe ortum quis non dicit?* Et paullò poſt, *Bos in Pecuaria maxima debet eſſe authoritate, præſertim in Italia, quæ à Bobus nomen habere ſit exiſtimata. Græcia enim antiqua, ut ſcribit Timæus, Tauros vocat Italos, à quorum multitudine, & pulchritudine, & fætu Vitulorum Italiam dixerunt.* Conſule quæ de re ipſa notata reliquit Aulus Gellius Lib. XI *Noctium Atticarum* Cap. I. & Columella de *Re Ruſtica* Lib. VI.

malia humano generi non innoxia modò, ſed utiliſſima, & neceſsaria, quibus diademata tam decora natura ipſa ſuâ ſponte conſtituit, reges aliorum facere: quàm aut leonem, aut aquilam, animalia torvi vultus, atque horridi, aduncorum ungium, rapaciſſimi animi, inſatiabilis gulæ, nata in aliorum perniciem? Dices, quoniam hæc armata ſunt, illa inermia: & natura monſtravit inermen eſse debere Regem: cæteras armatas, & ſpiculis, & venenis genuit. Hoc documento mortales admonuit, inermes armatis imperare debere, & ingenio vires cedere: Ideo Ariſtoteles, qui naturæ ſemper conſentit, ait: Corpora robuſta apta eſſe ad ſerviendum.

Provincia hæc mitiſſimos homines gignit, & humani ſanguinis minimè avidos. Sed hæc tanta ſua, quæ diximus, munera, naturam labefactaſſe, quibuſdam fortaſſe videtur. (14) Genuit hìc natura arachneum animal

(14) *Genuit hìc natura arachneum*) De Phalangio Apulo, quem *Tarentulam* vulgo appellant, ejuſque morſu, effectis, & remediis plures ſcripſere libros præcipuos, nempè Epiphanius Ferdinandus librum *De morſu Tarantulæ*, M. SS. Aucthor reliquit, ut ſcribit clariſs. Vir Dominicus de Angelis in Vita ipſius Ferdinandi Tomo 2. *Vit. Literat. Salent.* pag. 229. Idem in Opere Medico cui titulus *Centum Hiſtoriæ, ſeu Obſervatio-*

animal nocentiſſimum, cujus venenum fiſtulis, & tympanis pelli non crederem, niſi per plurima experimenta didiciſſem, legiſſemq; apud Aulum Gellium (15), auctoritate Theophraſti, eſse quoſdam ſerpentes, quorum venenum cantu, & fiſtulis pellitur:

Eſt etiam ille malus Calabris in montibus anguis.

(16) Sunt & ſerpentes peſtilentiſſimi: Cherſidri

ſervationes, & caſus Medici, Georgius Baiglivus in ſuo Opere Medico præcipuam Diſſertationem *De Morſu Tarantulæ* compoſuit. Ludovicus Valletta Ordinis Cœleſtinorum librum *De Phalangio Apulo* edidit: & Athanaſius Kircherus à Joanne Paulo Tarſia paullò infra citando, relatus in libro 1. ſuæ Hiſt. Cuperſ. etiam de Tarantula ſcripſit. De eodem noxio Animante agunt *Alexander* ab Alexandro *Dierum Genialium* lib. 2. Cap. 17. Uliſſis Aldrovandus Bononienſis Patritius in Hiſtor. *Serpentum*, & *Draconum* lib. 1. Cap. 43 Bononienſis editionis, Hieronymus Marcianus in M. SS. *Deſcriptione Sallentinæ Provinciæ* lib. 2. Jo: Paulus Tarſia in *Hiſtoria Cuperſanenſi* lib. 1. Jo: Baptiſta Pacichellus in altera Parte Operis, cui titulus *Regno di Napoli in Proſpettiva*.

(15) *Legiſſemque apud Aulum Gellium*) Vide lib. IV. Cap. 13 Noct. Attic.

(16) *Sunt & Serpentes peſtilentiſſimi Cherſidri*) Genus eſt Animalium, non aridis modo, verum etiam humentibus locis gaudentium. De Cherſidro Lucanus lib. IX Pharſal.

Natus, & ambigue coloret, qui Syrtidos arva
Cherſydros, tractique via fumante Chelydri.

Plura de eodem Uliſſes Aldrovandus ſupra laudatus in libro de Serpentibus, nonnulla de illo ſcribunt Hieronymus

ſidri enim ſunt nati in arida tellure. Gignit etiam regio brucos: ii parum peninſulæ fines tranſgrediuntur: Peculiare huic regioni malum, animalia ſunt, quæ omnia ſolo tactu fœdant, omnia devorant, omnia more hoſtiū vaſtant: nihil qua tranſeunt virens, nihil intactum relinquunt. Videre ſæpè ruſtici ſuas meſſes, ſuos annuos labores penè maturos, ac falcibus vicinos, una quà ibi bruchi nocte caſtramentati ſunt, atra ingluvie, & acutis dentibus corruiſſe, & quandoque ab arboribus non abſtinent. Vacavit provincia hac peſte multis annis, ope marinarum avium, quas Gainas appellant, quarum ova, aut pullos ne quis violaret, lege cautum eſt. Hæ bruchorum fœtus tanquam à Deo miſſæ, roſtris è terra excavant: deinde poſt æquinoctium vernum, quum è terra prodire incipiunt, devorant implumes, ut ſic dicam, ſeu non dum alatos: deinde volantes depaſcūtur. (17) Hoc contigiſſe Plinius ait incolis Caſsii montis, quibus præſidio erant Seleucides aves, locuſtis eorum fruges vaſtantibus. Nunc aut aviū,

mus Marcianus in Opere M. SS. paullò ante citato, aliiq; noſtrates Hiſtorici de Japygia, ejuſq; noxiis, & innoxiis animalibus agentes.

(17) *Hoc contigiſſe Plinius ait incolis Caſſii Montis*) Vide lib. 10. Cap. 27. Hiſtor. natur.

quas diximus, defectu (earum enim fœtus poſt bruchorum interitum vaſtare cæperunt) aut deorum ira, aut aliqua ignota nobis injuria, bruchi rediere, & iterum felices Salentinos campos populari cœperunt. Quin etiam rarus annus eſt, quo non magna vis grandinum aliquam partem regionis percutiat: uvas & etiam palmites, & olivarum tenellos ſurculos, & ſegetes, & fructus omnes non proſternant. Horum omnium cauſam cœli temperiem eſſe dixerim: nam hic, ut in Campania, hyeme, & æſtate fiunt fulmina. Erimus ne nos Spinellæ naturæ ingrati, ut recuſemus illius munera, quoniam illis aliqua admixta ſunt mala, quæ illa minuit? Sæpe optimis mixta ſunt peſſima: ut bona de manu Domini, ſic & mala accipere debemus. Sunt aliqui, qui quum diſerti haberi volunt, naturam incuſant: imò, & Deum, quem ipſi ignorant: [natura enim à Deo dirigitur] quod tanta ſua munera, ſæva mercede compenſavere, dolens ſe non fuiſſe genitos truncos, ut gemina veſte tuti eſſent, aut veſtitos pilis, aut corticibus, aut armatos ungulis, aut cornibus, aut duris roſtris. Ridenda verba, & Deo improba. Si dii illis darent optionem Metamorphoſeos, vellent ne in truncos, aut bruta animalia tranſire, quoniam tuta ſunt à frigoribus,

aut

aut caloribus? Et quoniam naturæ cauſam agere cœpimus, vellent in aves, ut volare poſſent ſine præceptore; aut in piſces verti, ut nare ſcirent? O verba verè digna hominibus è truncis, & duro robore natis. Vis tu eſſe ſuber, ut craſſo cortice tegaris? Vis mutari in teſtudinem; aut locuſtam, aut oſtream, ut cortice, & teſta dura operiaris? Dii dent tibi voti tui facultatem: ego malo tenui cute, quam duro corio tegi. Ariſtoteles acumen ſenſus ex carnis mollicie argumentatur. Tu invides animalibus vellera, pilos, ſetas, ſpinas, cortices, teſtas, quæ omnia in noſtros uſus veniunt. Hominem nudum natura genuit fateor: ſed tu quot homines ſine veſtibus vitam egiſſe vidiſti? & illas tibi ingratè natura genuit. Nec tibi ſatis ſunt tot lina, tot lanæ, tot vellera, tot coria, tot nobiles, atque alio orbe petitæ pelles, vermium quoque domicilia, & aurum in fila lenteſcens: nuditati tuæ ſubveniunt omnia, nobis genita ſunt. Sumus enim nos, ut Ariſtoteles ait, finis omnium. Ait idem Ariſtoteles: *o Theòs chè i phyſis udèn matin piûsi*, hoc eſt: Deus, & natura nihil fruſtrà faciunt, nec deficiunt neceſſariis, & ex bonis, & poſſibilibus, quod optimum eſt faciunt. Corpus temperatum facilius ægrotat: tu mavis eſſe intemperatum corpus, rude li-

gnum, aut robur, aut lapis, ut nunquam ægrotes. Te arachnei metus ſollicitat; tuos labores bruchi depaſcunt, tibi æſtivæ muſchæ moleſtæ ſunt? aut tu incole Scythicas paludes, & perpetuas pruinas, aut Hyperboreas ſpeluncas, ubi robora totis admovere focis, ubi gens effræna virum Riphæo tunditur Euro, aut Aethiopum exuſtas ſolibus terras, ubi nulla campis arbor æſtiva recreatur aura. Gaude tuis bonis, & fruere dum licet, & mala ſiqua bonis admixta ſunt, quando nihil eſt ab omni parte beatum, & ſemper [ut ait Plato] voluptati admixtus eſt dolor, feras æquo animo. Nec plus Japyges arachneos, quàm aut Lybiæ ſerpentes immenſæ magnitudinis, & leones, aut tygres Scythiæ metuas, timeasve bruchorum genus edaciſſimum. Nemo adhuc inventus eſt, qui ob bruchos fame perierit. Non habes flumina, & nemo ſiti laborat: nec in his locis fluminis incrementum cum ſtabulis armenta tulit. Strabonis, Pomponii, & Plinii temporibus, hujus regionis urbes, aut ſolo erant æquatæ, aut penitus deletæ, aut ſemidirutæ, aut in oppidula, & vicos abierant: Si libri Hipparchi, Artemidori, & Eratoſthenis extarent, fortè multum illarum notitiam haberemus. Ego conjectura quadam ductus, nova oppida omittens, ruinas

nas quaſdam urbium, & loca enumerabo. Quis enim in tam obſcura vetuſtate non offenderet? & quemadmodum urbes, & oſsa hominum terra operuit, ſic & famam illarum, & aliquarum etiam nomina, & locorum claritatem depreſsa, temporis caligo obtenebravit. Nos primùm oram, deinde mediterraneas partes proſequeremur.

LITORALIS JAPYGIÆ DESCRIPTIO.

PRincipium à TARENTO ſumentes Græci Taranton, ut illi talanton, quod nos talentum dicimus. Stephanus ab eo quòd eſt *tàras tàrantos*, quod eſt urbis nomen, & fluvii commune, poſuit. Ab incolis adhuc is Taras dicitur: diſtat à Tarento (18) verſus Metapontum quatuor millibus paſſuū:

 totidem

(18) *verſus Metapontum*) Illuſtris Calabriæ Urbs formata ab Epeo celeberrimo Architecto Trojani Equi authore, teſte Juſtino libro Hiſtoriarum vigeſimo. Soliñus ejuſdem originem ad Pilios è Poloponeſo profectos Populos reiicit: nomen verò illi factum á Metaponto filio Siſifi, ut narrat in libro de *Urbibus* Stephanus. Alii quod terminus Maris extiterit ſic appellatam Urbem màvult. Cuì nomen auxit Pithagoras, & Philoſophorum veterum Academia celebratiſſima. Inibi idem Philoſophus mortem obiit, obtinuitque ob merita ab Civibus Templum à Juſtino laudatum, cujus meminit Plinius lib. 4. Cap. 11. Columnarum fragmenta

totidem ab urbe diſtat (19) Galeſus; qui in mare; quod paruum dicunt; influit. Hæc

fragmenta adhuc ætate ſua ſuperfuiſſe Geander Albertus, & Martianus commemorant: de priſco autem ipſius decore, & viris illuſtribus plura recenſent, Gabriel Barrius in Lib: de *Origine*, & *Situ Calabriæ* Jo: Florius in ſua Calabria *illuſtrata*; & alii: laudarunt hanc ipſam Pomponius Mela, Strabo, Ptolomeus, Dionyſius Afer, & alii.

(19) *Galeſus, qui in Mare, quod parvum dicunt*) Galeſii per Tarentinum agrum labentis fluvii meminere Virgilius lib. 4. Georg. 26.

Qua niger humectat flaventia culta Galeſi.

Horatius lib. 2. Carm. Ode VI.

Unde (ſi Parcæ prohibent iniquæ)
Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam laconi
Rura Phalanto:

Martialis lib. V. *Epigram.* num. 38.

Puella, ſenibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galeſi mollior Phalanti.
Concha lucrini delicatior ſtagni,

Idem lib. VIII. *Epigram.* num. 28.

Dic toga facundi gratum mihi munus Amici
Eſſe velis cujus fama, decuſque gregis?
Appula lædei tibi floruit herba Phalanti,
Qua ſaturat Calabris culta Galeſus aquis.

Statius:

Blanda Therannei placeat vineta Galeſi.

Virgilius Tarentini agri amenitate, & ſalubritate potiſſimum delectatus in *Silva*, quæ non longè à Galeſo flumine

(20) Hæc urbs Tarete Neptuni filio condita: ſed [ut alii volunt] ab Hercule. Virgilius:

Hinc ſinus Herculei; ſi verâ eſt fama Tarenti.

Hæc urbs

flumine ſita fuerat paſtorale carmen adornavit, & cecinit, quod ſpectans Propertius lib. 2. ſcripſit:

Tu canis umbroſi ſub: et pineta Galeſi
Tyrſin, & attritis Daphnim arundinibus:
Utque decem poſſint corrumpere mala puellas
Miſſus, & impreſſis hædus ab uberibus,
Felix qui viles pomis merearis amores
Huic licet ingratæ Tityrus ipſe canat;
Felix intactum Corydon, qui tentat Alexin
Agricolæ domini capere delicias:

Hac de re vide Philippum Berualdum in Commentario ad eundem Propertium, alioſque in Commentariis Propertii: Joannem Antonium Porretum in Poemate Creationis Siſti V. Pontificis Maximi:

Nec vos Herculei Muſæ, quæ Rura Tarenti
Læta frequentaſtis, caro dum grata Maroni
Hoſpitia, & doctum cecinit ſub Turribus altis
Oebaliæ vates nigri inter culta Galeſi:

Joannem Juvenem in Libro de Varia Tarentinorum fortuna lib. 2. Cap. 2. Ambroſium Merodium in M.SS. Hiſtoria Urbis Tarentinæ lib. 1. In: Paulum Morelli in Compendio Deſcriptionis Urbis Tarentinæ pag. 27.

(20) *Hac Urbs Tarete Neptuni filio condita*) Onoratus Grammaticus Virgilianum illud exponens:

Hic ſinus Herculei ſi verâ eſt fama Tarenti:

Parteniate, inquit, *accepto Duce Phalanto octavo ab Hercule profecti ſunt; dilatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat; idque auxerunt;*

auxerunt, & *à primo nomine appellaverunt Tarentum*; *benè ergo Herculei Tarenti*, *quia Taras condiderat*, *auxerat Phalantus*. Erymna de Urbibus Magnæ Græciæ:

ſub ... tore beato

Mœnia prima Taras condidit, conſtructa Phalātus
Auget cum Sociis Urbemque Laconibus implet.

Conſule Ioannem Raviſium, Teſtorem, Io: Boccatium, Ambroſium Calepinum, Io: Iuvenem in primo libro de *Varia Tarentinorum fortuna*, Patrem Ambroſium Merodium in M. SS. *Hiſtoria Tarentina*, Io: Paulum Morellum in Compendio *Deſcriptionis Tarentinæ*, qui hanc opinionem veteris etiam lapidis teſtimonio comprobat, Seraphinum Morellum Ordinis Prædicatorum in ſuis M. SS. Tarentinorum Hiſtoriis, & demum Io: Camillum delli Tredici Tarentinum dum cecinit:

Dememeruit quondam hanc Urbem Neptunia proles,
Nam poſuit primus mœnia noſtra Taras.
Et Patriæ tribuit Lacdeus digna Phalantus
Noſtræ, cum princeps auxerit exiguam.

Et more ſolito Pater Bonaventura Moronus in libro tertio Catald.

Longa retro ſeries, ſi prima exordia quæras
Herculeæ gentes: namque is ſitus Urbis, & Arcis
Atque maris biſini, cœli, & dementia talis,
Atque ſoli ubertas, ut nulla ætate putandum
Deſertum manſiſſe locum aut caruiſſe colonis.
Fundamenta Taras poſuit, Neptunia proles,
(Græcia ni mendax) ſed nec dum condita Leuces
Tecta, Giganteiſque falsò celebrata ſepulchris,
Nec dum Brunduſii turritas viderat arces
Priſca ætas; norat forſan nec navita portus,

Cornibus

Hæc urbs, pulſis Japigibus, & Spartanis, duce Phalanto occupata eſt, Lacedæmoniorum facta colonia. Hæc amplitudine, & divitiis, & civium multitudine diu floruit, uſq; ad ſecundum bellum Punicum, adeò ut quõdam duce Archita Tarentino Pythagorico philoſopho, armatorum civium in campo habuerunt peditum triginta millia. Hujus urbis Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Strabo, necnon recentiores ſcriptores meminerunt. Ex nulla Græcarum urbium tantum auri, argenti, ſignorum, cæterarumque rerum, quantum ex Syracuſis, & Tarento reportaſſe Romanos Livius auctor eſt. Urbs natura, & mœnibus munitiſſima, admirabilis proſpectus eſt, & imperioſi. Quæ nunc urbs, olim [ut puto] arx fuerat: videntur enim veſtigia veterum [ſic enim dicuntur] murorum. Sedet ſuperba inter duo maria, quorum alterum majus, alterum minus dicunt. Quod ut &

Cornibus arboreis patrio quos nomine ſignat
Vivacis Cervi Caput: & mox Romula Claſſis
Reddidit inſignes, Eoo ex Orbe recurrens.
Auxit Amyclæus pomæria prima Phalantus,
Et mores, legeſque dedit, vetereſque colonos
Complexus, muris cinxit melioribus Urbem.

ut & Byzantium, ſeu Conſtantinopolitanum mare piſcoſiſſimum eſse dixit Ariſtoteles, hoc in ſe multos recipit fontes, & ipſum quem diximus Galeſum; fluviorum breviſſimum. A parte majoris rupes ſunt altæ, & inacceſſæ, à minori arenoſum littus. Urbs circunflua, ſeu [ut Græci dicunt] amphitalaſsa, oblongę inſulæ, aut longæ navis habent ſpeciem. A puppi manufacta eſt foſsa longis navibus permeabilis, quæ utrunque mare committit. Hanc Marcus Antonius Philomarinus, Ferdinandi, & Alphonſi juſſu, mira arte, & ingenio perfodi curavit. A prora, ubi æſtus maris concitatiſſimus eſt, fluentibus, & refluentibus undis in modum rapidiſſimi fluminis, pontibus continenti jungitur. (21) Hic magnus, & toto orbe memorabilis eſt piſcaturæ proventus,

(21) *Hic magnus, & toto Orbe memorabilis eſt Piſcaturæ proventus*) Jo: Juvenis Lib. 4. cit. Oper. *Ea eſt in aquis Terentinis piſcium copia, ut ſi Urbs à Conditore ſuo non fuiſſet ſortita nomen, Sidon potuiſſet appellari: Sicut Tyrii à Fenicibus ortundi ſuam appellarunt Urbem, juxta mare in Aſſyria conditum. Nam Phenicum lingua Sidon Piſcis eſt, & Tarentini ipſi Icthyophagi ſunt*. Bonaventura Moronus Poeta clariſſimus Lib. IV Cataldiadum:

Cluditur hoc Pelago quotquot Neptunus ubique
Spargit divitias, certis quas menſibus aurit
Piſcator: nullo que die ſinuoſa relaxet
Retia; quin repleat captivo Piſce Phaſellum.

proventus, cujus [ut diximus] Ariſtoteles meminit. Urbs eſt omnium judicio inexpugnabilis. Turcæ à Bizantio ad Neapolim, Galli à Pariſiis ad Hydruntum, urbem Tarento munitiorem ſe vidiſſe negabant: quæ terrarum omnia bella, & ferre, & inferre poſſet. (22) Circa urbem pinguiſſimi ſunt campi, vinetis,

(22) *Circa Urbem pinguiſſimi ſunt Campi*) Quidquid de Tarenti Campi amenitate, & fertilitate Galateus dixit brevi elogio, complexus eſt Horatius lib. ſecundo Carmin.

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidaſque præbet
Juppiter brumas: & amicus Aulon
Fertili Bacco minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces: ibi tu calentem
Debita ſparges lacryma favillam
Vatis amici.

Janus Peluſius in lib. 3. Carmin. ad Vincentium Cornelium Hoſtunenſem Epiſcopum:

Pontifex indos aditure mecum
Naufragos Sirteis, Arabaſque molles,
Et feros

Digitized by Google

Et ſeros toto penitus remotos
Orbe Britannos.
Nec mihi ſeptemgeminos potentis
Romuli colles, & amica Muſis
Rura Sabethi memores, vel udi
Tyburis arces.
Nullis in terris ſaturo Tarento
Gratior nobis locus, hinc refulgent
Clarius ſoles, Zeferiſque ſpirant
Mollius auræ.
Hinc ſuum Proteus pecus omne paſcit
Sub mari, terræ, nimium propinquo
Uva non cedit vetulo ſalerno
Mel, nec Himetto.
Hicque Franciſco docili juventæ
Dante ſermones utriuſque linguæ
Angulus ridet, magis, ac magis te
Præſide fulget.

Pater Bonaventura Moronus Lib. 4 Cataldiad.

. . . tellus patulos hinc fuſa per agros
Aeque jacet; fæcunda parens ſeu munera Bacchi
Seu Cererem quæras, nitidæ ſeu dona Minervæ
Seu quæcumque ſuis calathis pomona miniſtrat
Quocumque aſpicias, redolent ſub floribus herbæ
Ridet humus, vernantq; virentia culta; ſerenus
Fulget ubique dies: avibus virgulta canoris
Et frondes Zephyris, reſonatq; Alcedone littus.

Julius Cæſar Scaligerus in ſuis Carminibus:

Mollia, quæ tenuis demittunt pondera lanæ
Tonſo

Tonſa Tarentinis jugera læta jugis.
Hæc eadem complent vegrandibus horrea culmis
Et tua ſub prælum munera Bacche ferunt
Nulla eſt in latio Pomona beatior uſquam,
Nulla eſt Heſperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad convivia Nereus
Servit, & innumeris proxima Sylua feris.
Hic ver perpetuum eſt tantum pro frugibus æſtas,
Nectareas ſuperant ſydera ſæta dapes.
Quod ſi Cœlum imis vellet mutare ſuperna
Haud aliis poterat plenius eſſe locis.

Horatius Ruris ſui ubertatem, & amenitatem efferens illud Tarenti, Iapygiæque agro comparat:

. . . . . Quid ſi rubicunda benigne
Corna vepres, & pruna ferent? ſi quercus, & ilex
Multa fruge pecus, multa dominũ juvet umbra?
Dicas adductum proprius frondere Tarentum.

Eadem fortaſſe de cauſsâ idem Poëta ad Mecenatem Tarentinum incolatum Romano prætulit;

. . . . . . mihi jam non Regia Roma
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentũ.

Columella, Favorinus, & Macrobius in ſuis Saturnalibus *Nucem* Tarentinam commendant, Cornelius Celſus, Columella *Pyros*, *Olivas* Theophraſtus, *Ficos* Plinius, *Vinum* Athaneus. Cato *Cupreſſum*. Io: Boccatius *Mannam*. *Porros* Martialis;

Fila Tarentini graviter redolentia Porri
Ediſti quoties oſcula clauſa dabam.

Paſcua

vinetis, olivetis, frugibus, & paſcuis aptiſſimi: unde Virgilius:

Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti.

Et idem:

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem.

Accedit ad hæc, quòd urbs in intimo Tarenti ſinus receſſu in umbilico eſt terrarum: hinc Japygium, hinc Lacinium, habet promontoria, quibus Tarentinus ſinus terminatur. A Japygio ſeptuaginta, à Licinio CXXXVI. millibus paſſuum diſtat. Itaque urbs circumquaque mari cincta, mediterranea dici poteſt. E Tarẽto quãplurimos illuſtres viros habuimus, (23) Architam philoſophum, & Imperatorẽ Nico-

---

Paſcua Virgilius in Georgic. lib. 2.

Sin armenta magis ſtudium, vituloſq; tueri,
Aut fœtus ovium, aut Urentis culta capellas:
Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti.

Et Martialis de Partheniana Toga:

Appula Ledæi tibi floruit ubere Phalanthi,
Quæ ſaturat Calabris culta Galeſus aquis.

Vide denique quidquid de eodem argumento ſcripſit Jo: Juvenis in lib. 3. Cap. 1. citati Operis.

(23) *Architam philoſophum*) Veterum Philoſophorum longè celeberrimus fuit Architas, cujus nomen Plato-

Platonem attraxit, teſte Joanne Tzetzes à Jo: Juvene relato, S. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum: *Sic Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamq; oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur laborioſiſſimè peragravit, ut qui Athenis magiſter erat, & potens, cujuſque gravem doctrinam academiæ Gymnaſia perſonabant, fieret Peregrinus, atque diſcipulus: malens aliena verecundè diſcere, quam ſua impudenter ingerere*. Non Tarenti modo, ſed & Metaponti Architas docuit, habuitque illuſtres diſcipulos, quos inter primas tulere Plato Athenienſis, Empedocles Agrigentinus, Eudoxius Gnidus, Philolaus Chrotoniates, & alii. Fuit & preſtantiſſimus Mathematicus. De Columba lignea Architæ artificio volitante Aulus Gellius Aucthor habetur iſtrumenti, quo duæ mediæ inveſtigantur lineæ, ut cubum in quadro ponatur. De ipſius Philoſophi modeſtia inſigne, ac honorificum teſtimonium perhibet Elianus lib. 4. cap. 19. manſuetudine quoque claruit, iræque temperatiſſimus vixit, teſte Valerio Maximo lib. 4. Athaneus etiam Architam à virtute, ac prudentia commendat, quibus alii rectè gubernantur. Rexit ille cum laude Urbem Patriam, Regionemque, duxitque Exercitum ſemper victor, ſi Joanni Juveni credimus lib. 3. cap. 2. Mare in Urbem Patriam remittens, & dira obrutus tempeſtate naufragus interiit. Quamobrem Horatius:

Te maris, & terre, numeroque carentis arenæ
Menſorem cohibet Archyta
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
munera.

Floruit vir tantus Olympiade 96. ante Chriſtum 394. Ejus Vitam ſcripſere Ariſtoxenus diſcipulus, Diogenes Laertius, multi honorificè meminere. Baldus inter illuſtriores Mathematicos Archytam recenſuit: plura nos in *Additionibus ad Bibliot. Neapolit. Toppi, & Nicodemi* opportunè notabimus.

C

(24) Nicomachium muſicum, & mathematicum, qui de Arithmetica, & Muſica ſcripſit: & Platone teſte, (25) Iccum atthletam, (26) Ariſtoxenum muſicum, & philoſophũ, Ariſtotelis familiarem, Heraclidem muſicum, cujus Plinius ſæpè meminit, & cujus experimenta ſæpè Galenus refert in Decabiblo, hoc eſt, in libro decem tractatuum. Tria ſunt [ut Græci dicunt] politiarum genera: unius paucorum multitudinis principatus, hoc eſt monarchia, ariſtocratia: democratia in ſummo honore habebatur, hoc eſt, popularis principatus, ut erat [teſte Platone] apud Athenienſes, & in nonnullis hodie Italiæ civitati-

(24) *Nicomachium Muſicum, & Mathematicum*) Conſule Jo: Juvenem lib. 3. Cap. 3.

(25) *Iccum atthletam*) Floruit Iccus Olympiade ſeptuageſima, Nicolaidæ filius Tarentinus Olympicam Coronam, & Pancratiales de Quinquercio cæpit: ac deinde inſequentibus fuit athletarum magiſter ſui temporis præſtantiſſimus. Oppido quàm parcus cibi, potuſque fuit: unde apud Græcos Proverbium *Icci Cena*: De illo Plato: & alii.

(26) *Ariſtoxenum*) Gelius lib. 4. *Noctium atticarum* Cap. 11. *Ariſtoxenus Muſicus vir literarum veterum diligentiſſimus Ariſtotelis Philoſophi auditor*. Multa ſcripſit de quibus in noſtris *Addictionibus ad Bibliot. Neapolit.* De eo ſcribit Bernardinus Baldus in *Chronic. Mathematic. illuſtrium* Olympiade 3 ante Chriſtum anno 335.

vitatibus. (27) Democratia Tarentini juſtè, & temperatè utebantur, quæ potius politia dici merebatur: ſed nominibus ſæpè abutimur. Regnum tyrannidi, ariſtocratia oligarchiæ, politia democratiæ opponitur: ſed affluentia opum, & Romanorum eo tempore inopia, & Fabritii mendicitas Tarentinis mollitiem exprobravit. Et Romani quum ad ſummum divitiarum pervenere, à majorum vitæ ſeveritate degeneraverunt. Spinelle vir excellentis, & animi, & ingenii, non mihi cura eſt omnia exquiſitè narrare, quæ auctores ſcripſere, ſed ſummatim aliqua, ut tibi morem geram, & ut philoſophum, non ut hiſtoricum decet. Ariſtoteles ait in ſuis Problematis, eam hiſtoriam placere, quæ nō nimis antiqua eſt, aut nimis recens. Nam quæ nimis antiqua ſunt, minimè credimus: etenim in fabulas abiere: ut quæ Herculis, aut Liberi patris, aut quæ Viterbienſis de Beroſo, & Petoſyri, & Necepſo ſomniat. Quæ verò nova ſunt, contemnimus: omnes enim noverunt. Medii temporis hiſtorias concupiſcimus, & ut ſunt noſtro tempore,

C 2 Alexan-

(27) *Demogratia Tarentini juſtè, & temperatè utebantur*) De hujuſmodi Tarentinorum regimine agit Strabo lib VI Geograf. Jo: Juvenis lib. III Cap. IV de Var. Tarent. for.

Alexandri, & Romanorum, & quæ poſt captam Trojam geſta ſunt. Ob quam rem ego ſi quā ex Guidone quodam Ravennate, qui medii temporis fuit, quique de urbibus Italiæ ſcripſit, ut erant illius tempore referam, nō me peccaſse exiſtimes. Hic de Tarento hæc ſcripſit: Tarentum inclyta, & regalis urbs, & omni copiarum genere opulentiſſima, in qua Q. Ennius poeta antiquiſſimus exortus, Romæ floruit, Guidoni non niſi, quæ ipſe vidit, credendum eſt: & ſi in multis erravit, tamen non habemus meliorem illius temporis auctorem: ipſe videtur non ſatis Græcis literis inſtructus, nec bonos auctores legiſse. Q. Ennius teſtimonio ſcriptorum, Rudias, ut dicemus, non Tarentinus eſt. (28) De hac urbe pauca dixi: ſatis enim habet, & laudis, & gloriæ apud omnes, & Græcos, & Latinos hiſto-

(28) *De hoc Urbe pauca dixi: ſatis enim habet & laudis & gloriæ apud omnes; & Græcos, & Latinos hiſtoricos)* Veriſſimum, & dignum tanta Urbe longè celeberrima, & nobiliſſima Elogium; non defuere tamen è Civibus, qui peculiaribus libris Patriæ monumenta vetera, & illuſtria decora conlegere, ut notiora literario Orbi redderent: è quibus Jo: Juvenis, & Joannes Paulus Morellus publici juris fecere Opera. Ambroſius verò Merodius, qui libros quinque Tarentinarum Hiſtoriarum ſcripſit, & Seraphinus Morellus, qui antiquitates Tarentinas illuſtrandas ſuſceperat, morte prærepti, ſpe, & voto poſteritatem fruſtrarunt.

hiſtoricos. A Tarento in Eurum navigantibus ad VIII millia paſsuum occurrit in ora locus, (29) quem incolæ SATURUM penultima producta nominant, amœniſſimus tractus eſt, & apricis in meridie ſpectans: ab Aquilone tutus, fontibus paſſim frequens, nobiliſſimos gignit fructus, citriorum omne genus, ficos, mala punica, & hortentia omnia: adeò ut Tarentinorum urbi omnia affatim ſuppeditet. Hinc ſolventibus ad XII. millia paſſuum, templum eſt Divo Petro dicatum, quem locum (30) ajunt Divum Petrū ex Oriente proficiſcentem primum in Italia attigiſſe,

(29) *Quem incolæ Saturum*) De loco ipſo agit Servius apud Jo: Juvenem Lib. IV. Cap. I. octo paſſuum millibus Tarento diſtare commemorat *Baphia* quondam dictum, in quibus lana tingebatur, indeque *Saturum* dictum ad eum, & hæc Virgilii carmina in libro 4. Georgic. ſpectare, ſcribit idem Juvenis:

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit: eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant hyali, Saturo fucata colore.

(30) *Ajunt Divum Petrum ex Oriente proficiſcentem*) Quod à S. Petro Apoſtolorum Principe Japygiæ populi Chriſtianam Religionem didicerint, atque receperint complura vetera prob tiſſima Salentinorum Urbium, & Eccleſiarum monumenta teſtantur, quæ paſſim à diverſi generis, clarique nominis Scriptoribus confirmantur. Præſertim à Roſello in Hermet. Pimand.

attigiſſe, ibique rem divinam feciſſe: deinde Tarenti in Eccleſia, quæ eſt juxta majorem arcem, hoſtiam Chriſto obtuliſſe: (31) ubi inventus eſt nuper plumbeus libellus, de quo tot, &

Lib. V. Comment. 2. Dialog. V. Jacobo Antonio de Ferraris in *Apologia Paradoſſica* pro Urbe Patria Lycien. Jo: Juvene in lib. ultim. de *Antiquitate, & varia Tarent. fort.* Bonaventura Morono Ord. Minor. S. Franc. in lib. 1. *Cataldiados* ſub initio : Jo: Baptiſta Lezana Ord. Carmelit. in *Annalibus Carmeliticis* Anno 1499 Tom. IV. Chriſtophoro Forovolienſi in ſua *Græcia*; Ferdinando Ughello in Tom. IX. *Ital. Sac.* de Hydrũtina Urbe verb. facien. Hieronymo Marciano in lib. 2. *Deſcript. Hydrunt. Provinc.* & alibi ; Julio Cæſare Infantino in libro , cui titulus *Lecce Sacra* ; Marino Freccia de *Subfeudis* lib. 1. de *Provinciis* lib. 47. Aloyſio Taſſello in libro 2. de *Antiquitatibus Leucæ* cap. 2 Pompejo Sarnello in *Cronologia Sipontinorum Antiſtitum* fol. 8. Franciſco Maria de Aſte Archiepiſcopo Hydrũtino Par. 1. Cap. 2. De *Memorabilibus Eccleſiæ Hydr.* Io: Paulo Morello in *Deſcriptione Urbis Tarentinæ*, & à Franciſco Lombardo in Proemio *Compendii Cronologici Vitarum Archiepiſcoporum Barenſium*.

(31) *Ubi inventus eſt Plumbeus libellus*) De inventione libri S. Cataldi complectentis Prophetias, & Vaticinia ſcribunt clariſſimi illius temporis Scriptores. Alexander ab Alexandro lib. III. Cap. XV. *Dier. Genial.* Io: Iuvenis in lib. de *Var. Tarent. fort.* Hieronymus Marcianus in M. SS. *Deſcript. Provinc. Hydr.* Io: Paulus Morellus in *Deſcript. Tarentinæ Urbis*. Thomas Arcudi Ord. Prædicatorum in ſuo libro, cui titulus eſt : *Galatina Letterata* . Ambroſius Merodius in M. SS. *Hiſtoria Tarentina*, & alii . A tot graviſſimorum Scriptorum teſtimoniis nullo jure diſſentit Jovianus

tot, & tanta narrata ſunt in toto orbe Chriſtiano. Hinc ſolventibus, & oram Tarentini ſinus navigantibus, nulla uſque Callipolim occurrit urbs memoria digna. Inter Tarentum, & Callipolim, (32) vicus eſt in littore Neritono, qui à diva CÆSAREA nomen

vianus Pontanus lib. 2. cap. ultimo de *Sermone*, qui parum de re tanta inſtructus ad Franciſcani hominis Commentum referre maluit, quam veram hiſtoriam. Earundem Prophetiarum expoſitionem peculiarem Librum adornavit Franciſcus Antonius Andrada. De iis omnibus conſule Cataldum Antonium Caſſinellum in *Vita Sancti Cataldi* lib. III. Cap. VIII. De tempore autem, quo idem Liber prope Tarentum eſt effoſſus, non una eſt Scriptorum ſententia. Aucthor Anonimus Cronici editi à Clar. Viro Antonio Caracciolo id refert ad annum 1494. Petrus Galatinus ætate ſuppar lib. VIII. Cap. 1. De *Eccleſia deſtituta* ad annum 1492 coniecit. Galatino ſtant coevi Scriptores, ut Lucius Cardamus Gallipolitanus in ſuis M. SS. *Cronicis*. Bartholomeus Moronus in *Vita Sancti Cataldi*. Vetera Tarentinæ Eccleſiæ Monimenta, Viri doctiſſimi Bollandiani, & alii.

(32) *Vicus eſt in littore Neritono, qui à Diva Cæſarea nomen accepit à Gallipolitanis (ut ajunt) deletus*)

Ita Buterus, & Martianus produnt: nobili antiquitus idem vicus ditatus fuit Cænobio Monacorum Ordinis S. Benedicti, velut una ex quatuordecim (ut vocant) *Grangiis* Majoris Eccleſiæ, & Cathedralis Templi, ſacro Neritinorum, ac totius Diœceſis Præſidi ſubiecto. Id hodieque viget ſine Cænobio Sacerdotium, variis nominibus annuo, certoque Ceræ pondere, & Perſonali Rectoris obedientia Epiſcopo quotannis obnoxium.

men accepit, à Gallipolitanis[ut ajunt deletus. Hic eſt vadoſum frequentibus tenuibus, & puſillis inſulis conſitum, mare piſcaturæ aptiſſimum. Inde divi ISIDORI TURRIS Neritinorum Emporium: inde vicus divæ MARIÆ AD BALNEUM, derelictus & ipſe ob Piratarum, ut puto, & Saracenorum incurſiones. Hic ſcaturigines erant calidarū aquarum: ruinæ cernuntur ædificiorum: aquæ ſulphureæ odor ſentitur. Sed an aqua illa multis morbis ſalubris aliò verterit ſuos curſus, an incuria hominum, & ruina tectorum meatus obſtructi ſint, incertum eſt. Has thermas multis mortalibus utiles Beliſarius Aquevivus, vir magni animi, qui Nerito dominatur, inſtaurare cogitat. Ab hoc vico ſex millibus paſſuum abeſt (33) urbs Græcā, CALLIPOLIS: ſed neſcio cur in ora Senonum illam poſuerit Plinius. Nec apud auctorem aliquem memini me legiſſe his in locis Senones conſediſſe, aut mendoſi ſunt codices.

Sita

(33) *Urbs Græca Callipolis*) Nomen Urbis, veteremque ſervatum in Sacris ritum Græcum biſcentum ferme antè annos deſitum illuſtratur á Clariſsimo Viro Petro Pollidoro Amico noſtro in Notis ad Catalogum Gallipolitanorum Antiſtitum, in Tom. IX. Italiæ Sacræ edit. Venet. pag. 98 editis, qui tanti viri ſtudio locupletior. exactior, ac emendatior prodiit.

Sita urbs eſt in extremo promontorio longe in mare procurrenti, ſed arctiſſimo Iſthmo, adeò ut in aliqua parte vix curribus pervius ſit. Urbs formam habet ſartaginis, Iſthmus auxæ munita eſt, & rupibus circumſepta, & firmiſſimis muris. A continenti unus eſt aditus, in quo caſtellum eſt munitiſſimum. Hæc Petri Aragonum regis, qui Siciliam regnis ſuis adjecit, partes ſequuta, à Carolo Apuliæ primo, aut ſecundo rege, neſcio, ſolo æquata. Qui cladi ſuperfuerunt cives, in villas abiere, ubi centum annos morati ſunt. Inde redeuntes domunculas ſibi ſuper domorum ruinas ædificavere, ut cuique viſum eſt: & quæ quondam pulchra urbs à Græcis appellata eſt, nunc nullo viarum ordine ſervato habitatur, nō ut condita, ſed ut occupata. Hæc etiam per bella Alphonſi ſenioris, nunquam à fide deſcivit: cum nonnullæ ejuſdem provinciæ urbibus, ut dicemus. (34) Hæc quarto, poſt captum à Turcis Hydruntum anno, à Venetorum claſſe capta, ac direpta eſt. Spectatæ

(34) *Hæc quarto, poſt captum à Turcis Hydruntum anno, à Venetorum claſſe capta, & direpta eſt*) De hoc bello, cujus præcipuam narrationem tenuit Angelus Tafurus Proavus meus; agunt M. Lucius Cardamus Gallipolitanus in Diariis. Michael Ritius in libro de *Regibus Siciliæ* geſtæ rei ætate pares; & Scipio Mazzella

ctatæ fidei, & virtutis civitas: nullo adjuta externo præſidio, hoſtibus ad necem uſque reſtitit. Pauci adeò erant oppidani, ut cuique illorum, ſex aut ſeptem pinnæ defendendæ ſorte contingerent. Magna pars civium ſuper muros ſtrenué repugnando decidit: qui ſuperſtites fuere, omnes ferè vulnerati. Tandem nonnullæ mulieres muros conſcenderunt, atq; hoſtibus aliquantulum obſtitere: ex oppidanis magna parte [ut dixi] cæſa, pauci ſine vulneribus abiere. Ex hoſtibus quingenti cum ipſo duce deſiderati ſunt. Sic ſe Callipolitani geſſere, ut nemo illos jure victos dicere poſſit, ſed à multitudine hoſtium ſuperatos. Præclariſſime Spinelle, quando eorum, qui in extremo Italiæ angulo Luceriæ, virtus, & fides oblivioni, ac ſilentio datur, nos ipſi Callipolis, & Hydrunti fortia facta non taceamus. Dicam quoniam verum eſt, ſi omnes hujus Regni urbes Lupientium, Tarentinorum, Callipolitanorum, & Hydruntinorum animos habuiſſent, multa quæ nos opprimūt mala non pateremur. Hæc eadem urbs in illo ſcelerato, & exitiali toti Italiæ Caroli Francorum regis adventu, ſemper in fide Aragonenſium

zella in libro de *Vitis Reg. Neapol.*. Quorum teſtimonio facile conijci poteſt quantum á vero abſint Lycienſes Scriptores.

nenſium partium permanſit, Marco Antonio Philomarino patritio Neapolitano urbem gubernante. Hic, Francis totius ferè regni potitis, uſque ad reditum Ferdinandi junioris, urbem tutatus eſt. Sępè cum paucis, quos habebat, levis armaturæ equitibus, Francorũ turmas, uſque ad ſextum ab urbe lapidem perſecutus, multos Francorum, & cœpit, & occidit. Hæc etiam pulſo Federico, regi fidem ſervavit. Gonſal, eò quod ſuo Regi fidem ſervaverat: villas exuri, felices arbores excidi juſſit, & minas, & damna immenſa libenti animo pertulit: tandem præfecto arcis cum Gonſale paciſcente, urbs ad deditionem coacta devenit. Deinde Galli, Hiſpano duce intra Bareti mænia latente, omnia nemine prohibente imperio ſuo ſubegere. Urbs in maximo erat diſcrimine: quæ poſtea adventu Joannis Caſtriotæ viri Macedonis, qui nunc Ferrandinæ Dux eſt, tùm prudentis, tùm etiam ſtrenui, confirmata eſt. Hic adſcitis quibuſdam vicinarum urbium transfugis, & exulibus, qui partes Aragonenſes ſecuti ſunt, ſæpe ex urbe erumpens, variis cladibus Francos afflixit, atque urbem ſervavit. Logè ab urbe mille paſſibus inſula eſt pari ambitu. Hìc Gainaruum avium, quas diximus, magnus proventus, & toti provinciæ ſalutaris.

Poſt

Poſt Callipolim ad quintum lapidem promõtorium non abſimile ei, in quo urbs eſt, quod ACROTERIUM incolæ vocant, Latinè promontorium, recentiores navigantes promontoria, capita appellant. Inde Vaentinorum portus. Inde JAPYGIUM promontorium, (35) in quo templum eſt divæ Mariæ, inclytum, & antiqua religione ſacrum, ac venerandum. In hoc ſita erat parva urbecula, nunc diruta, quæ LEUCA appellabatur: de qua Lucanus: Parvæ mænia Leucæ, ſic, ut puto, dicta ab albedine, & nuditate ſcopulorum.

(35) *in quo templum eſt divæ Mariæ*) Templum hoc *Sanctæ Mariæ* in finibus Terræ vulgo audit, ſingulari non ſolum finitimorum, verum etiam exterorum religione cultum, ad quod è remotiſſimis Chriſtiani Orbis regionibus aſſiduè homines peregrini confluut; Beatæ Dei Genitricis Imago illuſtribus in dies ſingulis claret miraculis, quæ illuſtriorem locum reddunt. Romani Pontifices amplis piacularibus animarum præmiis eundem ditarunt. De ipſomet ſcripſere Felix Aſtolphus de *Imaginibus Marianis* fol. 14. Ferdinandus Ughellus in Tom. IX Italiæ Sacræ, ubi de Alexanenſibus, & Leucadenſibus Epiſcopis Catalogum texit; Marinus Freccia vetuſtior Ughello Scriptor in Tractatu de *Subfeudis*; Seraphinus Montorius Ordinis Prædicatorum in libro, cui titulus eſt *Il Zodiaco Mariano* Signo *Libro* Stella ✠: Ludovicus, ſive Aloyſius Taſſellus plures de eodem Templo, & Urbe Leuca libros ſcripſit, ſed parum felici calamo id tractavit argumentum:

rum. (36) Inde Caſtrum eſt oppidum Epiſcopale, quod ad ſecundum lapidem templum habet, alterum divæ Cæſareæ: juxta eſt fons calidarum aquarum, quas ad complures morbos utiles eſſe experientia docet. Fons in antro eſt, qui non alium habet aditum, quàm è rupibus mari imminentibus penſilibus, & tabulis, jactis pontibus aditur: nec niſi ſemel ſingulis annis Majo menſe. (37) In hoc latuiſſe divam Cæſaream incolæ autumant, dum furorem

(36) *Inde Caſtrum eſt Oppidum)* Scriptores, qui de Salentinorum Urbibus ſcripſere, Caſtrum anno Chriſti 450 ædificatum commemorant, ſic Marcianus, Taſſellus, Chriſtophorus cæcus Forolivienſis in libro de Magna Græcia. Turcæ Duce Luſtambao Pyrata celeberrimo, anno 1537 populati ſunt, & incenderunt. Quo infortunio Epiſcopus Caſtrenſis Sedem mutare compulſus, Domicilium fixit in Oppido, vulgo lo Poggiardo. Alteram vaſtitatem Caſtrenſis Civitas à Turcis paſſa eſt ânno Domini 1573. Vide Ughelium in Tom. IX *Itat. Sacr.* de Epiſcopis Caſtrenſibus.

(37) *In hoc latuiſſe Divam Cæſaream incolæ autumant)* Sanctæ Cæſareæ Vitam brevi calamo italè ſcripſit quidam Archipresbyter Francaviliæ; & aliam Epiſcopus Caſtrenſis, quas latinè redditas vulgavit Io: Bollandus in Tom. III. de Vitis Sanctorum Menſis Maii ad diem XV. & Hieronymus Beſcapè in libro inſcripto *Effemeridi Sacre* in menſe Maii. Plura nuper de illa ſcripſit Fr. Bonaventura Lamenſis Ord. Minorum ſtrictioris obſervan. in Hiſtoria Francavillenſis Oppidi, ſed recentibus, ac parum ſolidis innixa momentis.

rorem patris fugeret. Nec deſunt, qui teſtantur ſe ibi vidiſſe Deam lampada ferentem, adiri antrum non niſi placido mari poteſt. Orta repente tempeſtate perterrita mater, filium ibi reliquiſſe perhibetur, quem Deam ipſam per annum aluiſſe fama eſt. (38) In hanc noſter hymnus extat Sapphico, & Adonico carmine, cujus hoc eſt Principium:

Diva in extrema latitans latebras &c.

(39) Poetæ fabulātur Gigantes à Diis à Phlegræis campis ejectos hùc confugiſſe. Hinc ad Hydrun-

(38) *In hanc noſter hymnus extat Sapphico, & Adonico carmine*) Galateus hoc carmen inſcripſerat, miſeratque ad Antonium de Ciris Neritinum Epiſcopum doctrina, rebus geſtis, & vitæ probitate conſpicuum, ut liquet ex Epiſtola, quæ adhuc apud nos extat M.S. Diligentiam adhibuimus exactiſſimam, ut laudatos Verſus inveniremus, ſed irritus ad hanc diem labor ceſſit.

(39) *Poetæ fabulantur Gigantes à Diis à Phlegræis Campis ejectos hùc confugiſſe*) Lege Ovidium libro 1. *Metamorphoſeon* fab. V. & ſequent., & lib. 10. fab. IV. Propertium lib. 3. Eleg. 9., Claudianum in *Ligantomachia*. Iginum fab. 28., Apollodorum lib. 1. Horatium lib. 2. Od. 12. ad Mecœnatem. Silium Italicum lib. 12., Natalem Comitem lib. VI. Cap. 21. & ſequen. *Mytholog.* De Gigantibus ab Hercule é Gaborino Campaniæ campo depulſis ſcribunt Diodorus Siculus lib. 4. *Hiſtor.* Strabo lib. V. *Geograph.* In Japygiam veró, illos jactos notat Strabo lib. 6. De re ipſa Pomponius Lætus Epigrammam compoſuit, ubi cecinit:

Hydruntum petiit pars, & pars altera Volſcos.

Lege Leandrum Albertum in *Deſcriptione Italiæ* (Iapygiæ

Hydruntum ſex millia paſſuum numerantur. Quarto ab Hydrunto lapide convallis parva attamen amœniſſima, & oleis conſita eſt, quam incolæ pomarium nuncupant: per hanc rivulis aqua decurrit. Hæc puſillum portum efficit, quem ideò Vadiſcum incolæ dicunt: parvarum navicularum ſtatio eſt. Poſt hunc cœnobium eſt divo Nicolao dicatum, mille & quingentis paſſibus ab Hydrũto diſtans. Hìc monacorum magni Baſilii turba convivebat: hi omni veneratione digni, omnes literis Græcis, & plerique Latinis inſtructi, optimum ſui præbebant ſpectaculũ. Quicunque Græcis literis operam dare cupiebant, iis maxima pars victus, præceptor, domicilium, ſine aliqua mercede donabatur; ſic res Græca, quæ quotidie retrò labitur, ſubſtentabatur. Fuit temporibus proavorum noſtrorum ſtante aula Coſtantinopolitana, (40) vir Philoſophus Nicolaus Hydruntinus, cujus ante

pygiæ potius) pag. 192: Franciſcum Lombardum in libro de Balneis Puteolanis Cap. 14.

(40) *Vir Philoſophus Nicolaus Hydruntinus)* De hoc Nicolao ſcripſit idem Antonius in Epiſtola M.S. ad Iulium II. Pontificem Maxim., qua illi librum quemdam de *Donatione Conſtantini Imperatoris*, ſive ejuſmet Donationis vetus monumentum in Monaſterio S. Nicolai Caſularum juxta Hydruntum repertum mittit. Utrobique Nicolaum Virum Catholicum, integerrimum,

mum, & Romanam Eccleſiam, Summumque Pontificem optimè affectum deſignat. Quod ſanè Oppido falſum eſt. Fuit enim Nicolaus homo Schiſmaticus, ſcripſitque adverſum Catholicam Eccleſiam libros tres, quod Primo Proceſſionem Sancti Spiritus à ſolo Patre tuetur: Altero Azymorum uſum in re divina condamnat: Tertio Jejunium Sabathi vellicat, & improbat. De libris ipſis vide Jo: Albertum Fabricium Tom. X. *Bibliothecę Grecę* lib. V. Cap. 24. pag. 293. ubi etiam initia Græcorum librorum exhibet. Leonem Allatium lib. 2. de Conſenſu &c. cap. 13. §. 4. Antonium Arnaldum in egregio Opere de *Perpetuitate Fidei Catholicæ Eccleſiæ circa Sacramentum Euchariſtiæ*, & alios apud noſtras Additiones, & notas ad Neapolitanam Bibliothecam propediem edendas. Galatei tamen imprudens aſſertum, libenter Recentiores quidam amplexati, eum inter Sanctos etiam turpiſſimè retulere, ereptumq; Hydrūto, affixere Lupiis. Cujuſmodi Commentis libenter inhæſere Iacobus Antonius Ferrarius in *Paradoſſica Apologia* pro Patria Urbe Lycii lib. 2. queſt. 12. pag. 397. Julius Cęſar Infantinus in lib. inſcripto *Lecce Sacra* pag. 189. Hieronymus Marcianus in *Deſcrittione Salentinę Provinciæ* lib. 3. Turpior illorum eſt error, qui non contenti *Sanctum* finxiſſe, eo honore auctum ab Alexandro III. Summo Pontifice confundunt, unumque illum faciunt cum Celeberrimo Niceta Daciæ Apoſtolo, quem egregiè commendat S. Paulinus Nolanorum Epiſcopus, qui floruit in ſexto Eccleſiæ ſęculo (Nicolaus vero Hydruntinus in decimo ſecudo), ut clarius Cardinalis Baronius in ſuis Notis ad Martyrologium ſeptimo Idus Januarii lit. h. demonſtrat. Quo in errore verſantur Infantinus, Io: Baptiſta Pacichellus, Marcianus, & alii. Hæc omnia opinionum monſtra omnium detexit, confutavitque Vir doctiſſimus Petrus Pollidorus Frentanus Abbas S. Philippi in Marruccinis amicus noſter in eruditiſſima, ac operoſa Diſſertatione de *Falſo Jure Primatus Archiepiſcopi Hydruntis in Salentinas Eccleſias*, qua multifariam de Sacris Salentinorum antiquitatibus, & Eccleſiis benemeritus eſt.

ante Turcarum tranſitum plures libri de Logica, & Philoſophia in hoc monaſterio habebantur. Hic Abbas hujus monaſterii factus, & Nicetas nominatus, ſæpè à Summo Pontifice ad Imperatorem, & ab illo ad Summum Pontificem permeabat ad componendas res, quando inter Pontificem, & Imperatorem aliqua contentio, aut de ortodoxa fide, aut de alia re oriebatur. Erat enim hic vir graviſſimæ auctoritatis, & ſanctiſſimorum morum, ut qui de Philoſophia ad religionem commigraverat. Hic ſumptui minimè parcens, quos per univerſam Græciam invenire potuit librorum omnis generis (41) bibliothecam, in hoc cœnobio congeſſit: quorum magna pars negligentia Latinorum, & contemptu lite-

(41) *Bibliothecam in hoc Cœnobio congeſſit*) Illuſtrem quondam in Salentinis à Nicolao Niceta congeſtam Bibliothecam plures laudant, ex iis Antonius Beatillus Societatis Jeſu in *Vita S. Irenis Martyris* lib. VII. cap. IX. pag. 588, Hieronymus Marcianus in M.SS. *Deſcriptione Sallentinæ Regionis*, Aloyſius Taſſellus lib. 3. Cap. 23. pag. 510 *Antiquitatis Leucæ*, Franciſcus Maria de Aſte Hydruntinorum Archiepiſcopus in *Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ* pag. 9: & Auſthor noſter in paullò ante citata M.S. Epiſtola ad Julium II. Pontificem Maximum. In hac Quinti Opera reperta, & literariæ Reipublicæ vindicata Auſthori, Calabri, cognomentum indidere quod Bibliotheca, quæ Auſthorem ſervabat in Calabria cenſeretur; qua de re vide Leonardum Nicodemum in *Additionibus* ad Bi-

 bliothecam

ptu literarum Græcarum periit. Non parva pars Romam ad Beſſarionem Cardinalem deportata eſt, & inde Venetias: partem, quæ ſuper fuerat Turcarum, qui monaſterium populati ſunt, bella aſſumpſerunt. Hinc HYDRUNTUM, ut diximus, mille & quingenti ſunt paſſus. (42) Hæc urbs clade ſua ſatis nobilis, ſed magis vetuſtate, & civium fide, atque animi magnitudine. Hæc totius peninſulæ, & aliquanto amplius nomen Metropolis

---

bliothecam Neapolitanam Nicolai Toppi. In hac etiam inventa fuere, primumque literatis Viris in Italia cognita *Raptus Elenæ*, aliaque heroica Carmina à Colucto Licopolita Tebano Poeta Epico ſcripta Baſſerionis Cardinalis beneficio typis data; vide laudatum Nicodemum. Magnam, & forſitan ſelectiſſimam librorum hujus Bibliothecæ partem Venetias traſtulit celeberrimi nominis Vir, & Cardinalis ampliſſimus Beſſarion. Capta à Turcis Hydrunte tota prorſus interiit, Voluminibus barbarorum injuriæ patentibus, ignique traditis.

(42) *Hæc Urbs clade ſua ſatis nobilis, ſed magis vetuſtate*,) Hydrutis originem, atque fundationem nonnulli ad Dædalum Athenienſem, alii ad Japygem Crenſem referunt. Conſulantur ea de re Jo: Petrus de Alexandro in M.S. libro *De Bello Hydruntino* heroico carmine deſcripto, Franciſcus Maria de Aſte, ſeu potius Pompejus Gualterius in *Epitome Memorabilium Eccleſiæ Hydruntis*: Michael Lagettus in Proemio *Hiſtoriæ Belli hydruntini* à Turcis, & adverſus Turcas geſti, Hieronymus Marcianus in lib. 3. ſuæ M.S. *Deſciptionis Provinciæ Sallentinæ*, Ferdinandus Ughellus in Thomo IX. *Italiæ Sacræ*.

tropolis ſuo [ut puto] merito, adepta eſt. (43) Nam per Gothorum bella inter univerſæ Italiæ urbes in fide Imperatoris permanſit. Huic urbi Joannes Vitalianus præfectus vir ſtrenuus, & rei bellicæ minimè ignarus, Gothos, qui per Japygiam, Apuliam, Dauniam, & Lucaniam vagabantur, variis cladibus vexabat: accurrentibuſque innumeris Gothorum copiis, illicò ſe in urbem recipiebat, donec Beliſario, deinde Narſete Juſtiniani ducibus, Gothi ex Italia pulſi ſunt, & ad extremas totius Europæ, imò, & totius orbis partes, occidentem, & ſeptemtrionem ejecti. Hæc urbs variis à diverſis auctoribus nominibus nuncupatur: Ptolomeus Hydram ab Hydro, ut puto, flumine nominat: unde, & Hydræ inſigne urbem accepiſſe exiſtimo, non ut vulgo dicitur. Alii Hydruntum, alii Hydrentum, ut eſt Neapoli in antiqua inſcriptione quam dicemus, alii Hydrontem; alii Hydruntem ab eo quod Hydrus Hydruntis, quemadmodum amathus amathuntis: alii *Idrūsin pòlin*. Sunt circa urbem multæ aquarū ſcaturigines, & fontes inter laureta, & citria fluen-

(43) *Nam per Gathorum bello*) Conſule Procop. de bello Goth. Pandulfo Collon. in Hiſt. Reg. Neap. lib. 2, alioſq; recentiores Scriptores Rerum Neapolit.

ptu literarum Græcarum periit . Non parva pars Romam ad Beſſarionem Cardinalem deportata eſt , & inde Venetias : partem , quæ ſuper fuerat Turcarum , qui monaſterium populati ſunt , bella aſſumpſerunt . Hinc HYDRUNTUM, ut diximus, mille & quingenti ſunt paſſus . (42) Hæc urbs clade ſua ſatis nobilis , ſed magis vetuſtate , & civium fide , atque animi magnitudine .. Hæc totius peninſulæ , & aliquanto amplius nomen Metropolis

---

bliothecam Neapolitanam Nicolai Toppi . In hac etiam inventa fuere , primumque literatis Viris in Italia cognita *Raptus Elenæ* , aliaque heroica Carmina à Colucto Licopolita Tebano Poeta Epico ſcripta Baſſerionis Cardinalis beneficio typis data : vide laudatum Nicodemum . Magnam , & forſitan ſelectiſſimam librorum hujus Bibliothecæ partem Venetias traſtulit celeberrimi nominis Vir , & Cardinalis ampliſſimus Beſſarion. Capta à Turcis Hydrunte tota prorſus interiit , Voluminibus barbarorum injuriæ patentibus , ignique traditis .

(42) *Hæc Urbs clade ſua ſatis nobilis , ſed magis vetuſtate* ,) Hydrutis originem , atque fundationem nonnulli ad Dædalum Athenienſem , alii ad Japygem Cretenſem referunt . Conſulantur ea de re Jo: Petrus de Alexandro in M.S. libro *De Bello Hydruntino* heroico carmine deſcripto , Franciſcus Maria de Aſte, ſeu potius Pompejus Gualterius in *Epitome Memorabilium Eccleſiæ Hydruntis* : Michael Lagettus in Proemio *Hiſtoriæ Belli hydruntini* à Turcis , & adverſus Turcas geſti , Hieronymus Marcianus in lib. 3. ſuæ M.S. *Deſcriptionis Provinciæ Sallentinæ* , Ferdinandus Ughellus in Thomo IX. *Italiæ Sacræ* .

tropolis ſuo [ut puto] merito, adepta eſt. (43) Nam per Gothorum bella inter univerſæ Italiæ urbes in fide Imperatoris permanſit. Huic urbi Joannes Vitalianus præfectus vir ſtrenuus, & rei bellicæ minimè ignarus, Gothos, qui per Japygiam, Apuliam, Dauniam, & Lucaniam vagabantur, variis cladibus vexabat: accurrentibuſque innumeris Gothorum copiis, illicò ſe in urbem recipiebat, donec Beliſario, deinde Narſete Juſtiniani ducibus, Gothi ex Italia pulſi ſunt, & ad extremas totius Europæ, imò, & totius orbis partes, occidentem, & ſeptemtrionem ejecti. Hæc urbs variis à diverſis auctoribus nominibus nuncupatur: Ptolomeus Hydram ab Hydro, ut puto, flumine nominat: unde, & Hydræ inſigne urbem accepiſſe exiſtimo, non ut vulgo dicitur. Alii Hydruntum, alii Hydrentum, ut eſt Neapoli in antiqua inſcriptione quam dicemus, alii Hydrontem; alii Hydruntem ab eo quod Hydrus Hydruntis, quemadmodum amathus amathuntis: alii *Idrũsin pòlin*. Sunt circa urbem multæ aquarũ ſcaturigines, & fontes inter laureta, & citria fluen-

(43) *Nam per Gathorum bello*) Conſule Procop. de bello Goth. Pandulfo Collon. in Hiſt. Reg. Neap. lib. 2, alioſq; recentiores Scriptores Rerum Neapolit.

fluentes ſaluberrimarum aquarum. Sunt & putei innumeri tam modicæ altitudinis, ut aquam manu capere poſſis, quod in hac regione rarum eſt. Videtur enim hæc portio à Peloponenſo, aut Tempe abſciſſa, & Italiæ adjecta. Quæ nunc urbs eſt [ut de Tarento diximus] arx olim erat: quamvis quæ antiqua urbs fuit, non nimis amplo circuitu claudebatur: Etenim ut reor, non excedebat ſpatium undecim ſtadiorum, ex eò quod ante bellum Turcarum coniici poterat: nunc enim æquata ſolo ſunt omnia. Urbs antiqua muniſſima fuerat murus, centum [ut fama eſt] turribus jungebatur aliquarum veſtigia mei puero monſtrabantur. Ultima uſque ad noſtra tempora Centenariæ nomen ſervavit: aliarum lapides ad muniendam, & iſtaurandam urbem Alphonſus Ferdinandi filius trãſferri juſſit, quæ nunc validiſſimis muris, & ingenti foſſa vallatur. (44) Portum habet ſatis com-

(44) *Portum habet ſatis commodum*) Pompejus Gualterius in Opuſculo de *Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ* à Franciſco Maria de Aſte ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo edito, putavit de Hydruntino Portu Virgilium egiſſe lib. 3. Æneid. quum ſcripſit:

Portum ab Euro fluctu curvatur in Arcum
Objectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes
Ipſe latet, gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli:

Qua in re an recte ſenſerit, norunt Viri docti.

tis commodum, ſed aquilone minimè tutum: à mari altæ ſunt rupes, ex molli, & fragili lapide, ex cujus crebris ruinis, non parvam urbis partem mare occupavit: A tempore Patrum noſtrorum, uſque ad hanc noſtram ætatem, lxxx paſſuum ſpatium mare abſorpſit. Urbs cœlum ſaluberrimum eſt, ſolum lætum, & fontibus ſcatens lauris, mirtis, olivis, & citriis conſitum, ſemper virens. Turcarum bella omnia vaſtavere, nunc revireſcere cuncta cœperunt. (45) Ex hoc loco Ceraunii Aepiri montes ita clarè cernuntur, ut nonnulli

(45) *Ex hoc loco Ceraunii montes ſic clarè cernuntur*) Verba Plinii in lib. III. hiſt. natural. *Hydruntum ad diſcrimen Ionii, & Adriatici Maris, quia in Græcia breviſſimus tranſitus, exadverſo Apolloniæ oppidi latitudine intercurrentis freti quinquaginta m. non amplius hoc intervallum pedeſtri continuare tranſitus Pontibus primum Pyrrus Epyrii Rex cogitavit, poſt eum M. Varro cum Claſſibus Pompeii piratico bello præceſſit; utrumque alii ſuppediere curæ.* Jo: Petrus de Alexandro lib. primo de *Bello Hydruntino*:

Urbs antiqua ſatis circumdata mœnibus altis
Eſt Sallentinos inter celeberrima campos
Eſt maris Adriaci fluctus in littore molli
Epyrum contra Hydruntum.

Scaliger in ſuis Carminibus de *Urbibus*:

Qua brevis Epyrum Cerealem deſpicit urgens
Tractus in Ionias brachia longa vias.

nōnulli exiſtimaverint, teſte Plinio, Italiam Græciæ pontibus jungi poſſe. Audax fuit cogitatio ne dicam temeraria: attamen locorum vicinitatem ſignificans ab hoc loco in Græciam, hoc eſt à Calabria in Epirum: fretum eſt quinquaginta millia paſſuum, uſque ad intima ſinus Adriatici DCL. uſque Tarentum pedeſtri itinere LXX, uſque Sepiuntem, & Manfredoniam, quæ eſt ad radicem montis Gargani CLXXX, ad quem montem nomen Japygiæ, ut diximus, extendebatur, ſicut & Apuliæ uſque ad Hydruntum, (46) quamvis BARIUM ante Japix appellatum fuerit à Dedali filio, quem nomen Japygiæ dediſſe

Opportuna dolis, & cauti fraudantibus hoſtis
Hic ſita ſunt Vigili præda pedita Duci,
Hæc igitur firma ſunt Italiæ Clauſtra quietis,
Et libertati jura parata ſuæ.

Vide denique Michaelem Lagettum in Proemio *Hiſtoriæ Belli Hydruntini*, & Franciſcum Mariam de Aſte in ſuis *Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ*.

(46) *Quamvis Barium ante Japix appellatum fuerit*) Plinius lib. III. Cap. XI. *Pediculorum oppida Rhudia, Egnatia, Barion, ante Japix à Dedali filio*, Plinium multi recentiores Scriptores ſunt ſequuti, è quibus ſunt Raphael Regius in *Notis* ad libr. 14. *Metamorphoſeon* Ovidii, Gerardus Mercator in *Athlante Coſmograph.* pag. 618, Joannes Brittannicus in *Notis* ad Horatium Flaccum lib. 1. *Sermon.* Antonius Beatillus in lib. 1. *Hiſtoriæ Barenſis*, Paulus Antonius Tarſia lib. 1. *Hiſt. Cuperſanen.*

dediſſe auctor eſt Plinius. Hæc ora, ut Ptolomæo placet, Ionio mari abluitur. Ubi variant auctores veritatem indagare difficile eſt, conjectura eſt opus: adeò incerta ſunt omnia, ut nulla ſit diſciplina, in qua non ſit opinionum, & ſententiarum inexplicabilis varietas, & quandoque confuſio nominum perturbat rerum ſcientiam. Ionium mare uſque ad intima ſinus Corinthiaci quidam nominant, Lucano teſte: Jonium, & Aegæum Iſthmus diſterminat. Ptolomæus ab Hydrunte ad Garganum montem Ionium mare appellant, interius Adriaticum. Idem Zephyrium promõtorium, quod eſt inter Lacinium, & Leucopetram ad Adriaticum pelagus ponit. Theopraſtus Apolloniam, quæ eſt inter Aulonem, & Dyrrachium, ad Ionium mare ſitam eſſe ſcribit: ſic & Ariſtoteles. Ptolomæus Acroceraunios montes, qui ſunt in Epyro juxta Ionium eſſe aſſerit. Strabo Adriaticum ſinum Ionium nominat, cujus longitudinem ponit ſex millium ſtadiorum, hoc eſt DCCL. millia paſſuum. Plinius auctor eſt, Hydruntum poſitum eſſe ad diſcrimen Ionii, & Adriatici maris. Ionium in prima parte, interius Adriaticum, quod & ſuperũ vocant, ſed hæc perquirere longum eſt. Nos [ut juſſit parens medicinæ Galenus] de nomini-

minibus non curemus, cuſtodita rerum notitia. At hæc ignorare nefas eſt hominem Chriſtianum. (47) Anno à Chriſto nato M. CCCCLXXX Achamantus præfectus claſſis Machometis Turcharum regis, ex Aulone Macedoniæ oppido ſolvens, cum ducentis navibus, & XVIII mill. fortiſſimorum bellatorum, Hydruntum obſedit, non ſine omni armorum, & machinamentorum genere. Qui tentatis oppidanorum animis; oblatiſq; non iniquis conditionibus, ut quando non haberent aliquam ſpem auxilii [exercitus enim noſter eo tempore in Hetruria res gerebat] neque invalidam urbem defendi contra tantam vim poſſe, & callidè; & verè ajebat barbarus,

(47) *Anno à Chriſto nato* 1480 *Achomatus*) Hydruntini belli hiſtoriam præcipuo volumine ſcripſit idem Antonius Galateus, quam italè Michael Marzanus reddidit, vulgavitque Cupertini anno Domini 1583. Item Jo: Albinus Lucanus, Michael Gagettus, Franciſcus de Aravio hanc hiſtoriam hyſpana lingua compoſuit, & Franciſcus Antonius Capanus hujus belli antiqua monumenta, & hiſtorias tam editas, quàm M.SS. collegit, vulgavitque Lycii anno 1670. Nec defuere, qui vinctâ numeris oratione idem præſtiterint, quorum præcipui habentur Hyacinthus Uritanus Ordinis Prædicatorum, ut refert Pater Altamura in ſua *Bibliotheca Dominicana* anno 1480, & Pater Jacobus Ekard in Tomo 2. de *Scriptoribus* Ord. Prædic. Jo: Petrus de Alexandro Galateus, Proſper Chriſtianus Tarentinus, Franciſcus Antonius Mega Galateus, qui omnes M.SS. reliquerunt Poemata.

barus, ſed ut ultrò ſe darent ſuadebat, aut cum uxoribus, & liberis, & iis quæcunque ferre poſſent urbem deſererent, atque in vicinas urbes commigrarent, vitamque, & libertatem ſuam ſervarent. Stultum eſſe ajebat bene ſperare ubi nulla eſſet ſpes ſalutis, aut auxilii, at ſi ipſi fidem homini, & ignoto, & hoſti non haberent, ſe, exercitumque ſuum omnem naves aſcenſurum, atque in mare octo, aut decem millibus paſſuum ab urbe habiturum pollicebatur, illi intereà ſuæ ſaluti, & libertati conſulerent. Hæc oratio primò ab Hydruntinis contempta eſt: reſponderunt ſe paratos eſſe pro Chriſto, proque ſuo Rege extrema omnia pati, & demum mortem obire: ac nuncio ne iterum rediret juſſerunt, ac mortem comminati ſunt, ſi quis civium de deditione verbum faceret, ſecundũ nuncium eadem referentem ſagittis confixerunt. Concitatus ira barbarus omnia machinamentorum genera, & quæ bombardas dicunt, & quas habebant incredibilis magnitudinis expediri juſſit, ac invalidos, & veteres muros triduo evertit, adeò ut per plures dies inter noſtros, Turcaſque res telis, enſibusque ageretur. Noſtri urbem acerrimè repugnantes tutabantur, tandem ſexta, quàm genus Turcarum in veneratione habet feria, xv obſi-
dionis

dionis die, tertio idus ſextilis: [idus ſemper Italiæ infauſtus: etenim VI idus ſextiles apud Cannas cum Hannibale, infeliciter pugnatū eſt] omnibus ferè noſtris ſauciis, ac laboribus, & vigiliis defeſſis, Turcæ urbem per plana ingreſſi primo impetu nemini pepercerunt. Sacerdotes in Eccleſia omnes ad unum trucidaverunt, & nonnullos ſuper altaria hoſtiam tenentes tanquam victimas mactaverunt. Poſtquam nocte tota quam turbulentus ille dies ſecutus eſt, (48) Stephanus Archiepiſcopus conſanguineus meus, omnem populum divino Euchariſtiæ ſacramento firmaverat ad matutinam quam præſcierat pugnam, à ſubterranea templi parte, ad locum quem chorum dicunt aſcendit, ubi martyr Chriſti pontifica-

(48) *Stephanus Archiepiſcopus*) Is ex Argercula familia de Pendinellis Patricia Neritina paterno genere originem traxit: annos multos Patriæ Urbis Epiſcopatum ſanctiſſimé rexit: tum ad Metropolitanam Hydruntinis dignitatem evectus, occupata à Turcis Urbe, Martyr occubuit. Thomas Alexander Arcudius in *Galatina Letterata* pag. 113 Oppido S. Petri in Galatina civem affigit, ſed his plané futilibus nixus momentis, quæ nullam erudito Lectori vim ingerunt. Neritina Urbs pluribus, gravibuſque nititur antiquis & æqualium Stephano Scriptorum teſtimoniis, quæ legere licet in abſoluta Diſſertatione De *vera Patria Stephani Argercoli de Pendinellis* conſcripta à clariſſimo Viro Jo: Baptiſta Pollidoro Frentano, quæ multorum eruditorum manibus, ſemerita cum laude M.SS. teritur,

tificalibus inſignitus ornamentis in ſua ſede (49) ab irruentibus Turcis jugulatus eſt. Qui cladi ſuperfuerunt octingenti viri, aut capti, aut ſaucii, aut ægroti extra urbem ducti, omnes ante crudeliſſimi Ducis barbari oculos cæſi ſunt. Dicam rem raræ, & antiquæ laudis, & futuris fortè ſæculis minimè credendam. Nemo in tanto populo mortis metu à fide Chriſti deſcivit, imò alter alterum, filius patrē, pater filium, frater fratrem ad mortem hortabatur. Macti virtute viri: felices Animę! Martyres Jeſu Chriſti auſi facinus magnum, ac me-

---

teritur, ac prope diem publicis typis edetur. Neritinæ Urbi Stephanum jam pridem aſſeruit præſtantiſſimus Abbas Petrus Pollidorus in *Diſſertatione*, *& notis criticis de Neritinis Epiſcopis* ad Ferdinandum Ughellum Tom. 1. Ital. Sac. edit. Venetiis; & nos ipſi idem præſtitimus in Sermone hiſtorico de *antiquis ſtudiis literariis*, Academiis, & viris illuſtribus Neritinæ Urbis, publicis typis vulgato Lupiis in 2. Parte Cronic. Provinciæ S. Nicolai Ordinis Minorum, quos *Obſervantes Reformatos* appellant.

(49) *ab irruentibus Turcis jugulatus eſt*) Sunt qui ſcribunt Stephanum *lignea Sera* diſſectum, alii *excoriatum*, nonnulli *capite cæſum*. Illud planè teſtatiſſimum: Quæ contra erat Beatæ Dei Genitricis Imago vetuſtiſſima, quaſi facinus everſata Vultum aliò avertit, diſceſſitque: ſpectante, atque mirante Populo universo. Prodigii hiſtoria in Archiepiſcopali Hydruntini Templo pennicillo expreſſa hodieque viſitur, mirifici facti memoriam poſteritati exhibens.

ac memorabile: nunquam ego poſſum vos ſatis laudare: laus veſtra, & gloria, & felicitas apud Deum manet æterna, ſemperque manebit. (50) Horum oſſa multa Alphonſus Ferdinandi filius, Alphonſi ſenioris nepos, vir pietate inſignis, Neapolim deportari curavit: quæ in templo divæ Magdalenæ ſacro locavit, & quo advixit in maxima habuit veneratione: quædam, cives poſt reparatum locum, tanquam reliquias ſive fragmenta in unum collegerunt, repoſueruntque intus cappellam,

(50) *Horum oſſa multa Alphonſus Ferdinandi filius*) Recepta, & inſtaurata Urbe, eo Chriſtianæ pietatis argumento de Sanctis Chriſti Martyribus Calabriæ Dux benemeritus eſt. Illorum 240 Corpora Neapolim tranſtulit, & in Templo S. Catharinæ, quod vulgariter à *Formello* dicitur, collocavit; ubi rei index ſequens legitur Inſcriptio:

SUB HOC ALTARE CONDITA SUNT OSSA
CUM SUIS CAPITIBUS 240 CHRISTIFIDELIUM
A TURCIS PRO DEFENSIONE FIDEI
TRUCIDATORUM
HYDRUNTI HUCUSQUE AB ALPHONSO II.
ARAGONIO REGE TRANSLATA
DE LICENTIA
SUMMI PONTIFICIS INNOCENTII VIII.

De Sepulchro Hydruntinorum Martyrum lege Ughellum Tom. IX. *Ital. Sac.* in Hydruntina Metropoli; Franciſcus Maria de Aſte in *Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ* Cap. IV. Part. 2. Marcus Buldettus de Sac. *Cœmeteriis Romanæ Urbis, & Chriſtiani Orbis* Part. 2. Cap. 19. pag. 615.

pellam, ſeu ſacellum, quod dedita opera conſtituerunt in Eccleſia majori, ubi uſque ad hodiernum diem quieſcunt, & quo ad Chriſtiana erit religio viſenda commorantur, in maximaque veneratione habentur, ſolemnibus officiis divinis celebrantur. Urbem penè dirutam, Turcæ Italiæ affectãtes Imperium, ingentibus munitionibus reparaverũt. Achamatus ipſe Aulonem revertens, cum magna ſuorum, & captivorum ex tota provincia, & mulierum, & puerorum manu, relicto in urbe quatuor millium fortiſſimorum virorum præſidio, apud Saſonem Ionii maris inſulam, à claſſe noſtra victus, & fugatus eſt, magna navium parte, aut capta, aut demerſa. In qua victoria Villamarini, qui nunc comes Capaciæ eſt, & hujus regni Apuliæ Admiratus, eo tempore adoleſcentis virtus præcipuè emicuit. Tandem Alphonſus magna vi, ac non ſine ſuo periculo, & ingenti Turcarum, & noſtrorum ſtrage, poſt quatuor menſium obſidionem Hydruntum recuperavit, atque in formam urbis compoſuit. Minimè crediderim illam Maſſiliæ ab hiſtoricis maximè celebratam expugnationem fuiſſe, aut magis periculoſam, aut magis laborioſam, & cruentam. Antequam urbs à noſtris obſidione ſtringeretur, Deus optimus maximus opportuna

reipu-

reipublicæ Chriſtianæ morte Machometem ſubſtulit, aliàs actum erat de nobis. Et quãvis hæc urbs in illa Caroli illuvione, quæ omnem Italiam perturbavit, regno capto, perculſis omnium animis, ut & cæteræ urbes, paucis exceptis, Gallos admiſerit; tamen ſtatim ad Aragones partes reverſa, prima Ferdinandi Junioris nomen antequàm ille è Sicilia excederet invocavit. Quæ de hac urbe Guido ſcripſit, hæc ſunt: Hydruntum Minervium, in quo templum Minervæ, ubi Anchiſes pater Aeneæ primo omen equos paſcentes Italiam advectus proſpexit [ut inquit Virgilius] & idem aptum mercimoniis Hydruntum ſcilicet, Hydruntum ne an Brundusium intellexerit Virgilius, neſcio. In hora Ionii, quarto ab urbe lapide lacus eſt piſcoſus, cymbis tantum piſcatoriis nabilis, quem incolæ adhuc Græcè *Limnin* nominant; ſeu ut Galenus ait, Limnothalaſſa [ita enim ille appellat lacus, qui in mare fluunt, ac refluunt]. Ambitus illius eſt XII millia paſſuum, multos in ſe recipit fontes, quorum aliqui molis apti, nunc aquarũ magna pars defecit. Hunc lacum ubi ſe in fretum arctat, via dividebat Trajana, quam dicemus: hunc locum hodie Fenaſtras dicunt. Inde urbecula occurrit, quã ROCCAM appellavit Gualterius Brehena,

de quo

de quo poſtea dicam. Hic ab Oriente revertens, ab Hydrũto Lupias iter faciens, urbem dirutam conſpexit, paulò minoris ambitus quàm antiqua fuerat Hydruntus. Locus arcis [ut mos erat] Græcarum urbium eminentior certabatur: ex arce tantum urbeculam condidit, unde & Roccam nominavit. Franci enim arcem, roccam dicunt. Hanc eſſe voluit, ut antiquis [ut puto] fuerat temporibus, Lupientium emporium, ideò & has quoque Lupias appellaſſe Ptolomæum crediderim: nam Lupias mediterraneam urbem eſſe certum eſt. Inter eas ſpatium eſt XIII millia paſſuum. Hanc urbem Gualterius Quæſtori Lupientium tradidit habitandam. Ille deductis ex urbe, & ex vicinis colonis, in formam oppidi redegit, ac perpulchro viarum ordine diſpoſuit. Hanc Turcæ capto Hydrunto, à civibus primò, deinde à præſidio noſtrorum militum derelictam, penè ſolo æquaverunt. Ante Turcarum adventum, pulcherrimum fuerat oppidulum, ſatis munitum, & majori ex parte mari cinctum, & honeſtis civibus habitatum. Hoc, pulſo à Joanna Alphonſo rege, ſemper in illius fide cum Lupiis, Tarento, Gallipoli, & Caſtro permanſit, & Loyſio Andegavenſi, quem regem appellabant, oppugnanti ſtrenuè reſtitit. Hinc aliqui brevio-

rem

rem eſſe in Græciam tranſitum, quàm ab Hydrunto exiſtimant. Hanc Joannes Antonius fidelem vocabat, & pro delitiis, & animi laxamento habebat, & familiariſſimè cum oppidanis verſabatur, quorum nonnullos honoratis magiſtratibus, & arcibus tuendis præficiebat. Compertum non habeo quo verè nomine appellata fuerit; ſcriptorum, quos habemus temporibus jam deleta erat. Inter Hydruntum, & Brunduſium, nulla alia, quæ ego ſciam, videntur in ora antiquæ urbis veſtigia. Ptolomæus, ut dixi, inter Hydruntum, Brunduſiumq; Lupias in ora locat, fortaſſe à Lupiis nomen translatum eſt. Ingens palus oppido proxima aërem inficit, unde non ſatis ſalubris locus. Hæc antiquis temporibus foſſas habebat in mare procurrentes, per quas palus expurgabatur. Extra oppidum in medio veteris urbis locus cavus eſt, profundus decem paſſibus, ad quem mare recipitur per ſubterraneos meatus [ut mihi viſum eſt] non manu factos, ſed natura, aut fluctibus excavatos, per quos à mari ad foveam cymbis itur: locus vitulis marinis frequens: eam foveam incolæ Græco nomine *prodosian* vocant, nos proditionem poſſumus dicere. Fama eſt per hunc quaſi cuniculum urbem captam, ac deletam fuiſſe. Inde exeuntibus ad decem

millia

millia paſſuum occurrit CASTELLUM, (51) quod à divo Cataldo antiquiſſimo Tarentinorum Archiepiſcopo nomen accepit, eo quòd ille ex Oriente proficiſcens, hęc primùm loca attigit, ubi, & puſillum templum illi dicatum extat. Hoc quoque caſtellum Gualterius condidit pro emporio Lupienſium urbi propinquiori: ubi Maria ejuſdem hæres, ingentem molem longis junctam lapidibus miro opere conſtruxit: nunc incuria principum, & Lupienſium rebus poſt mortem Joannis Antonii principis, & ob continua bella defectis atque afflictis, penè diſgregata: hìc aër craſſus atque inſalubris eſt. Tota ubique Japygia ſaluberrimum, ſudum, atque ſincerum habet cœlum, præterquam in ora, quæ à lacu Hydruntino, quem diximus, uſque Brunduſium, ubi pleriſque in locis juxta mare ſunt palu-

(51) *quod à divo Cataldo antiquiſſimo Tarentinorum Archiepiſcopo*) De S. Cataldo Tarentinorum Epiſcopo, & Confeſſore eruditè ſcripſit amicus noſter Cataldus Antonius Caſſinellus, qui illius ætatem, & acta optimis argumentis ad Criticæ regulas exaratis illuſtravit. Fuit & alter Sanctus Cataldus Epiſcopus, & Martyr in Tarentina Regione illuſtris, de quo multa vetera monimenta eruditis Lectoribus expendenda propoſuit doctiſſimus Abbas Petrus Pollidorus Frentanus in Animadverſionibus Criticis ad Catalogum Tarentinorum Antiſtitum Tom. X. edit. Venet.

paludes, & circa Cæſaream Neritoni agri. A caſtello divi Cataldi ſex millibus paſſuum abeſt caſtellum in Lupienſi agro, cui nomen CAULON, diſtat à Monaſterio Ceratenſi, quod videmus duobus millibus paſſuum: videtur ingens ſtructura fuiſſe, nunc nihil eſt niſi acervus lapidum, qui exuſti videntur, deinde tempore exæſi: vix duobus à mari diſtat ſtadiis: veſtigia quæ ad mare procedũt adhuc cernuntur. Neſcio ſi fuerit Caulon, quem remota C litera, Horatius Aulonem dixit: incolæ ſpeculam Caulonis appellant. In hujus peninſulæ editioribus locis frequentes ſunt cumuli lapidum, (52) quas incolæ ſpeluncas nominant; has nunquàm me vidiſſe memini, præterquam in hoc tractu. Has congeries nõ niſi magna numeroſæ multitudinis manu coacervatas fuiſſe credibile eſt. Paucis in locis ubi lapides non ſunt [omnes enim colles aſperi, & lapidoſi] ex terra facti ſunt cumuli tãtæ magnitudinis, ut aſpicientibus montes videantur, quamvis tempus, & hominum manus, & pecus omne non parvam partem de-

cacumi-

(52) *quas Incolæ ſpeluncas vocant*) Locus corruptus, pro *Speculas*. Ità enim hodieque appellantur excelſi lapidum tumuli, qui paſſim in apertis Japygiæ campis viſuntur.

cacuminavit: (53) Monumenta hæc fuiſſe illuſtrium virorum exiſtimo: mos enim erat vetuſtiſſimorum Græcorum, & ante illos fortè Japygum ſuper cadavera clarorum virorũ ingentem lapidum, aut arenarum molem accumulare:

(53) *Monumenta hæc fuiſſe illuſtrium virorum exiſtimo*) Conſueviſſe Veteres illuſtrium Virorum Cadavera ſepelire, ac ſuper illa ingentes lapidum tumulos, aut terræ aggeres tollere Sacrorum, & profanorum Scriptorum teſtimonio exploratum eſt, eum morem viguiſſe apud Hebræos, liquet ex Lib. 2. Regum Cap. XVIII. n. 17. ubi de Abſalone Davidis Regis filio hæc leguntur: *Et tulerunt Abſalon, & projecerunt eum in ſaltu in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum Acervum lapidum magnum nimis*. Par conſuetudo apud Romanos ſervata eſt, Virgilius 2. Æneid. verſ. 211.

Mærentes altum cinerem, & confuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

De Trojanis illuſtre profert teſtimonium idem Poeta in lib. 3. Æneid. verſ. 62.

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus . . . . . .

Et de Cajeta Æneæ Nutrice idem Virgilius loquens lib. 7. Æneid.

At pius exequiis Æneas ritè ſolutis
Aggere compoſito tumuli . . . .

Vide variorum eruditorum Notas ad citatos Virgilii locos. Quam tamen apud Priſcos honoris fuit indicium, evaſit etiam in proborum hominum infame monumen-

cumulare: unde fortaſsè cumuli, aut tumuli ſepulchra dicuntur. Plutarchus in vita Alexandri, Demaratum Corinthium Alexander funere extulit magnificentiſſimo, congregatus eſt illi ab exercitu tumulus ambitu quidem ampliſſimo, altitudine verò octuaginta cubitorum. In ultima parte peninſulæ BRUNDUSIUM inclyta urbs ſita eſt, quam aliqui Brunda inſula ſic appellari exiſtimant, Græci Brendeſium dicunt: Steph. *Brentìsion* Vulgatum eſt, (54) quod nomen hoc, caput cervi ſignificat, non in Græca, aut latina lingua, ſed Meſapia, ſeu Peucecia, de qua lingua aliquid dicam cum de Vaſta oppido tractabo. Portus

tum, quod perſpiqué liquet ex libro Joſue Cap. VIII. num. 29. Neque id mirum teſtatur ſiquidem Silius Italicus lib. XIII. verſ. 468 de *Bello Punico* varium apud Veteres Populos ea de re fuiſſe morem, nec unam, atque conſtantem viguiſſe conſuetudinem;

. . . . per omnes
Diſcrimen ſervat Populos, variatque jacentem
Exequias, tumuli, & cinerum ſententia diſcors.

(54) *quod nomen hoc Caput Cervi ſignificat*) Ennius in eam ſententiam cecinit:

Brunda Caput Cervi veteres dixere Coloni.

Strabo etiam lib. VI. Geograph. commemorat: *Brunduſium Meſſapiorum lingua Cervi Caput appellatum eſſe.*

Portus capitis cervi ſimilitudinem habet: cornua magna ex parte urbem cingunt. (55) Portus toto terrarum orbe notiſſimus, unde natum eſt

(55) *Portus toto terrarum Orbe notiſſimus*) Brunduſini Portus nobilitas, & priſca celebritas plures apud Veteres laudatores habuit, præcipuè Strabo lib. VI. Geograph. *In primis etiam Brunduſii Portus ſua excellentia præſtat*. Ennius, ut Gellius refert:

Brunduſium pulchro præcinctum perpete Portum. Plinius lib. 36. cap. 11. hiſt. natur. *Brunduſium in primis Italiæ Portu nobile*. Nicolaus Pauſnerus in ſua *Italia*.

Quæ ſtatio Nautis Urbs eſt fidiſſima clarum
Brunduſium Portu nobile nomen habet:
Aſpicit immenſum Moles, natura profundum
Ionii limes, Adriacique Maris:
Illiricas patet hinc, patet illinc curſus ad horas
Africa ſive tuas, Græcia ſive tuas.
O' male concordes Cives, qui commoda tanta
Spernitis in vos, dum vertitis uſque manus.

Julius Cæſar Scaligerus.

At nõ Brũduſium præcinctum perpete Portum
Æquat in offenſis ulla carina vadis.
Jam liceat vel quis peregrinas condere puppes
Italiæ, at Statio vera ſit una tua.

Vide Andream della Monica in ſua *Hiſtoria Brunduſ.* lib. 1. Cap. IV.

tum eſt proverbium, tres eſse in orbe portus, Junii, Julii, & Brunduſii. Interior portus turribus, & catena clauditur: exteriorem hinc, atque hinc ſcopuli, & inſularum obiectus protegit. Videtur ludentis, ac providæ naturæ ſagaci induſtria factus. Ora à Gargano monte ad Hydruntum rectilinea ferè eſt, brevibus falcata finibus. Ad Brunduſium diſcreta terra mare in ſinus formam excipit, in intima ſinus parte fretum eſt, quod turribus, & catena clauſum diximus. Hoc oſtium quōdam altiſſimum erat, & quibuſcūque quamvis magnis navibus permeabilis. Joannes Antonius in bello, quod inter Alphonſum, & Venetos geſtum eſt, timens ne urbs in Venetorum, ſed Alphonſi poteſtatem deveniret, onerariam navem ingentibus onuſtam lapidibus, in ipſo ore demerſit, atque ita oſtium obſtruxit; ut nunc non niſi parvis navibus, & biremibus, & triremibus pateat. Ferdinandus, & Alphonſus ſæpè conati ſunt oſtium effodere, ſed ab incepto deſtiterunt; puto quod fluxus, & refluxus maris, qui non ut Tarenti vehementiſſimus eſt, multas arenas ſuper lapides, & navigium congeſſit: durata per tot annos alveo, non niſi magno, & ſumptu, & labore perfodi poſſet. Ab hoc freto duæ excavatæ foſsæ vallos urbem ambientes,

mare longè in continentem effuſum admittunt. Mira eſt præcipuè in dextro cornu maris altitudo, ajunt alicubi menſuram viginti paſsuum excedere. Urbs quaſi peninſula eſt, inter duo cornua ab Occidente ſupra dextrũ cornu arcem habet miro opere, & quadrato lapide, primo à Friderico juniore Henrici filio Enobarbi nepote conſtructam, deinde à Ferdinando, & Alphonſo ejus filio munitam. Urbem quoque quos à mari non habebat muris iiſdem cinxere. Arcem inexpugnabilem inſula, in qua erat templum divi Andreæ, Alphonſus ædificavit, quæ portus exterioris oſtio imminet. Hæc urbs quondam populoſiſſima, nunc crebris ſeditionibus, & cœli intemperie penè deſerta eſt, & majori ex parte vacua. Hoc ferè commune eſt omnibus magnis urbibus, ubi frequentia hominum deeſt, aëris accuſatur inclementia. Hoc Babylon, omnium urbium populoſiſſima, quam ſi ſcriptoribus creditur, provinciam, non urbem appellavit Ariſtoteles, non ſecus ac ſi quis circumponat murum toti Peloponeſo. Hoc videbis & in Italia, Metapontus, Heraclea, Crotopeſtum, Capua, & Roma terrarum caput. In proverbio enim eſt; magna urbs magna ſolitudo. Ideo mos fuit Græcorum non immenſæ magnitudinis

 urbes

urbes condere. Exemplo nobis ſunt Athenæ, Thebæ, Lacedæmon, Megara, Argi. Plato urbem ſuam quinque millibus domorum numerum excedere vetuit, ac ſi creſcat multitudo, colonias eſse mittendas juſsit. Ariſtoteles tantam eſse urbem ſtatuit, ut illius omnis populus vocem, & dicta præconis, aut concionantis facilè audire poſſit. Quinetiam, & urbes ſub ſalubri cœlo poſitæ, deletæ ſunt. Sicut & homines, ſic & urbes fata habent ſua. Sed civium negligentia urbem hanc infamavit: quæ ſi aquæ ſuos exitus apertos habuiſsent, nunquam tale nomen aſsecuta fuiſset. Nonnè vides Spinelle, quot mortales hoc anno Neapoli periere, aut longos paſſi ſunt morbos, præcipuè in ea parte, in qua caſtellum Capuanum, & forum, ob reſtagnantes aquas in paludibus, & in foſſis prędiorum, & obſtructos meatus, ſeu canales quà aquæ in mare profluebant, quondam regibus id curantibus.

Diſtat Brunduſium ab urbe Roma CCCLX millia paſsuum, à Dyrrachio urbe Illirica, ſeu, ut Ptolomæo placet, Macedonica, ad quam frequens erat trajectus Romanorum millia paſsuum, CCXX. Hęc urbs in primo bello Gallico ſemper in fide Aragonentium partium perſeveravit. Domi-

nantibus toti regno Gallis, (56) Iſabella, quæ poſteà regina fuit, Federici uxor, & Cæſar Ferdinandi filius nothus, huc ſe receperunt. Et quamvis invalidum haberent præſidium, Gallos tamen, duce eorum capto, ad Meſaniam octavo ab urbe lapide Brunduſini vicerunt: in qua pugna Spinetus Ventura, amicus noſter, ſtrenuè ſe geſſit, qui ducem Gallorum à ſe ſervatum Brunduſium captivum duxit. Qualis erat hæc urbs Romanis imperantibus, omnes noverunt Ait Lucanus:

Brunduſii tutas conſcendit magnus in arces.

Sed qualis fuerit Guidonis temporibus illius hæc verba demonſtrant. Et poſt has antiquius cunctarumque nobilius Brunduſium, in quo (57) Eccleſia ſancti pontificis, & confeſſoris

(56) *Iſabella, quæ poſteà Regina fuit*) Hæc Triſtani de Claramonte Cupertinenſis Comitis filia fuit Ferdinando I. Aragoneo nupta, Femina religione, pietate, virili fortitudine, atq; conſtantia cum primis ſpectanda. Eruditione ipſa prædita, literatos Viros in pretio habuit, auxitque beneficiis. Laudatur à Pontano in lib. 1. de *Bello Neapolitano*: Joſepho Betuſſo in *Additionibus* ad librum Joannis Boccacci de *Mulieribus illuſtribus*: Franciſco Sanſovino in Hiſtoria *Familiæ Urſinæ* lib. VII. fol. 100. Jo: Antonio Summontio Tom. III. lib. V. *Neap. Hiſtor.* Nicolào Jannettaſio Soc. Jeſu in *Hiſtor. Neap.* lib. 42. fol. 45.

(57) *Eccleſia Sancti Pontificis & Confeſſoris Chrileucii*)

feſſoris Chrileucii, egregio opere conſtructa, ubi & requievit, cernitur. Hanc urbem Romoaldus Beneventanorum princeps, cum Tarento ſimul cæpit, & diruit; ſimul quoque & cæteras civitates Salentinæ regionis: eo quòd exercitus Romanorum ab urbe Coſtantinopolitana miſſos ſuſciperent, & devotæ Orientali aulæ; aut antiquitus, dum Longobardorum gens divina miſſione Italiam infeſtaret, parérent. Hæc verba Spinelle, maximum perhibent teſtimonium integritatis, & fidei illius regionis, quæ non niſi veris imperatoribus parére ſolita eſt: nunc de mediterraneis dicendum eſt.

MEDI-

cii) Mendoſa lectio, meliores ſiquidem notæ M.SS. Codices *Chriſti Leuci* habent. Proprio tamen errore laborare videtur Galateus, cum Templum illud, quod egregio opere Brunduſii conſtructum cernebatur, Sancto Leucio Confeſſore tribuit. Ex priſcis ſiquidem monimentis conſtat Deo in honorem S. Leuci Epiſcopi & Martyris dedicatum fuiſſe. Plura Notarum anguſtiæ hic afferri non ſinunt; indicaſſe ſufficiat S. Gregorium Magnum Pontificem Maximum, qui lib. IX. Epiſt. 73. Martyrem Beatiſſimum illum appellat, ejuſq; Brunduſii Baſilica ad Petrum Hydruntinum Epiſcopum laudat. Dolemus planè ætate noſtra nobili, ac pervetuſto opere conſtructam Eccleſiam Paulum de Vilana Perlas Brunduſii Archiepiſcopum diruiſſe, ut lapides præſtantes haberet, quibus Clericorum Seminarium in Urbe conſtrueret.

MEDITERRANEÆ JAPYGIÆ DESCRIPTIO.

INter Brunduſium, & Tarentum duæ antiquæ urbes fuere: altera in humili colle, altera in plano ſita: utraq; campos frugum feraciſſimos, & paſcuis aptos: (58) Quæ in colle ſita, à pleriſque URIA, ab aliis Oreas, ab aliis Uretum, nunc Oria dicitur. Omnia hæc nomina montanam urbem ſonant. Colles perennes habent fontes: in ſummo colle arx poſita eſt, & loco & mœnibus tutiſſima: urbs duplici muro cingitur. Hæc inter perpetuas plani-

(58) *Quæ in Colle ſita, à pleriſque Uria, ab aliis Oreas*) Si fides adhibenda eſt Viro doctiſſimo Quinto Mario Corrado in Epiſt. 74 ad Jo: Franciſcum de Rubeis; ab antiquiſſima Cretenſium gente originem duxit: Idem cum Quinto Mario ſentit Antonius Amateus in Epiſtola de *Vita, & moribus Quinti Marii Corradi* ad Baſilium Iſapace Salernitanum Caſſinatem Monacum. Conſule de re ipſa Chriſtopharum Foroliv ienſem in *Deſcriptione Magnæ Graciæ*, & Jeronymum Marcianum. Hæc Urbs à Quinto Fabio Maximo ſubacta, in ditionem Romanorum devenit. In prima fronte Majoris Uritanæ Eccleſiæ lapis extat cum Romana Inſcriptione à laudato Quinto Mario Corrado in citata Epiſtola relata:

D. M.
COCCEIA. M. F. PRIMA
V. A. XX. H. S. E
M. COCCEIUS LUCIFER
FILIÆ PIENTISSIMÆ

Sub an-

Sub annum Domini 547 capta à Totila. Ludovicus Imperator 867 inibi per plures dies incolatum fecit, ut ſcribit Anonymus Barenſis à Camillo Peregrino editus. 879 Galderii Beneventanii Principis municipium fuiſſe ſcribit Herempertus. A Saracenis anno 924 fuiſſe ſubactam, majoremque Civium partem captivam in Siciliam, & Africam adductam aſſerit Lupus Protoſpata in ſuis *Cronicis* ab erudito Antonio Caracciolo vulgatis. 977 ab Agarenis igne ferroque vaſtatam, ut ſupra laudatus Lupus Protoſpata notavit. 1055 à Malgerio Comite capta in ditionem Nortmannorum devenit, ut ſcripſit Aucthor Anonymus Cronici Nortmannici de *rebus adverſus Græcos in Apulia, & Calabria ab illis geſtis* à Clariſs. Viro Ludovico Antonio Muratori in Tom. V. *Rerum Italicarum* editus. A Rogerio Siciliæ Rege capta, ut Alexander Abbas Celeſtinus in ipſius *Rogerii Vita* lib. 1. cap. XII. A Manfredo obſeſſa, cum magno animi ardore reſtitit, ut notavit Aucthor Anonymus de *Rebus Friderici Imperatoris, & filiorum*, ab Ughello Editus in Tom. X. *Ital. Sac.* edit. Venet. A Petro Pacio Magni Ducis Côſalvi ſtrenuo Milite per annum obſeſſa protegente, & auxiliante B. Barſanuphrio liberata eſt, ut Quintus Marius Corradus in *Oratione ad Cives Uritanos* iis verbis notavit: *Quum obſeſſa per annum hæc Urbs à Petro Pacio teneretur, ſæpe noctu Barſanuphrium in muris auguſtiſſimo forma, atque habitu, cum ſonitu, facibus, & militum frequentia, ab hoſtibus eſſe viſum: hiſque rebus Pacium adductum à Conſalvo Magno Duce petiviſſe, ut conditiones pacis mitteret, & à bello, oppugnandaque Urbe diſcederet.* Laudatus Quintus Marius Corradus præcipuam Uritanæ Urbis hiſtoriam ſcripſit, teſte Andræa della Monicà lib. 1. cap. VIII. *Brunduſinæ hiſtoriæ.* Thomas verò Albaneſius librum adornavit de *Situ & antiquitate Uritanorum*, ut teſtatur Dominicus de Angelis in 2. parte *Vit. Litterat. Salent.* in Vita Jo: Caroli Bovii Brunduſini, & Uritani Archiepiſcopi. Donatus Caſtiglione Philoſophus, & Medicus experientiſſimus librum de *Cælo Uritano* compoſuit.

planities in colle poſita, perpulchrum undiq; ſui reddit proſpectum. Hæc Alphonſo primo Apuliæ rege extra regnum agente, cum Lupiis, Tarento, & Gallipoli conſentiens, à Joannæ reginæ duce Jacobo Caldora, dum Aragonenſes partes ſequeretur, vi capta, ac direpta eſt, & majori ex parte igne ferroque vaſtata. In hoc bello, quod inter Hiſpanos Galloſque geſtum eſt, quoniam arci non parvum Gallorum præerat præſidium, neceſſariò Gallorum partes ſequuta eſt muris, quamvis ii non ſatis erant validi, dirutis, & Hiſpanis penè mœnibus potitis, Hiſpanorum ſæpe impetus pertulit, & pertinaciſſimè reſtitit. Urbs nullum aut paucum habens intus præſidium, & bellis inſueta, ſine ulla ſpe auxilii. Tandem deſperatis de auxilio Gallis, & urbi conſentientibus, urbs in deditionem venit, his conditionibus, ut urbs ſervaretur, & Galli cum ſuis ſarcinulis incolumes abire permitterentur. Unde rectè quis coniicere poterit, non magnitudine murorum, non foſſarum altitudine, ſed virorum animis, & virtute, regna atque urbes ſervari, atque defendi. Fortè non nimis malè Lacedemonii opinabātur, quamvis Ariſtoteles aliter ſenſerit. Hi urbem ſuam tanquam pecodum gregem muris claudi paſſi non ſunt: hoc modo enervari

vires

vires animorum putabant, dum muris, turribus, & foſſis confiderent: ferro enim, non lapidibus, & repagulis ſalutem eſſe committendam. Non ſecus exiſtimabant antiquorum quidam, qui nihil literis mandandum eſſe cenſebant: nam immemores, & obliviosos fieri, qui chartis ſuam ſervant ſcientiam. Ideo Hippocrates [ut ait Galenus] uſus eſt breviloquio antiquo; & leges quæ nunc ſunt verboſiſſimæ, decem primò, dehinc duodecim parvis tabellis continebantur, & Lacedæmonii jure, non ſcripto utebantur, & Dominus noſter breviloquam docuit orationem. Nunc tanta eſt librorum copia, & magnitudo, ut non ſolùm dicta, ſed ne nomina quidem auctorum memoriter tenere valeamus. Ridebis fortaſsè Spinelle, Galateum, qui brevi tandem ſuadet; cum ipſe prolixus ſit, ſed hoc ritè fit. Breviloquium non poteſt cōmendari, aut damnari multiloquium niſi longa, & prolixa oratione: Galenus cauſam prolixitatis ſuarum conſcriptionum refert ad eos, qui falſa dogmata invexerunt, in quibus confutandis longis ſermonibus opus eſt: Ego non libros, ſed inanem immenſitatem recentiorum librorum, qui non niſi arrogantiæ, & depravandorum ingeniorum, & alēdorum impreſſorum cauſa ſcripſere. Non ego

muros, & munitiones damnaverim, ſed hoc mihi ſemper perſuaſum velim, quod noſtris malis didicimus: nihil nobis tot ſumptus, tot munitiones profuiſse, ſolamque eam artem tutiſsimam eſse, quam valentes volenteſque tutantur: nec tibi è mente excidat, Oriæ ſumus: Undè VIII millibus paſsuum abeſt (59) MANDURIUM: alii Menturum: Stephanus *mandìrion*: unde Mandirini, incolæ

Manduri-

(59) *Mandurium, alii Menturum*) Originem hujus priſcæ & illuſtris Urbis ad Cretenſes referunt fundatores Uriæ: cui ſententiæ adſtipulantur univerſi ferè Scriptores Rerum Japygiæ, præſertim Q. Marius Corradus in *Hiſtoria M. S. Uritanorum*. Hieronymus Marcianus lib. 4. Cap. 10. laudati Operis. E ruderibus, quæ paſſim in antiquo Civitatis ſitu ſemiſepulta ſpectantur: amplam quondam Urbem fuiſſe licet arguere. Frequentiſſimam etiam fuiſſe Populo, ex eo potiſſimum liquet, quod ſubacta à Q. Fabio Maximo, quatuor captivorum Civium millibus Romanorum Triumphum auxit, teſte Livio lib. III. decad. VII. Sub annum Domini 547 à Totila capta. 924 à Saracenis depopulata: anno tandem 977 ab Agarenis æquata ſolo eſt. Robertus Viſcardus poſt Græcos exactos, potitus Provincia exciſam Urbem novo Populo opplevit, inſtauravitq; quo modo licuit. Unde poſteà Oppido *Caſalnuovo* poſteriori ævo nomen factum. Nihil Galateus de celeberrimo Mandurii Fonte memorato à Plinio in lib. 2. cap. 103 *Natur. Hiſt.* cæteriſque noſtratibus, & exteris Scriptoribus, ut à Clariſſimo Viro Philippo Rondinino in *Hiſtoria Baſilicæ S. Clementis* lib. II. Cap. XI. Abb. Dominico de Angelis in principio Vitæ Ferdinandi Donno. Quod ſane mirum; quum alibi minoris momenti res ſtudioſè Poſteritati commendaverit.

Mandurinum dicunt. Hoc enim à Quinto Fabio vi captum fuiſſe Livius auctor eſt. In plano ſitum erat oppidum mediocris, ac juſti ambitus: hujus in extrema Occidentali parte ex veteribus ruinis conſtructum eſt oppidum, quod CASALE NOVUM dicunt, pluſquam CCCC focis habitatum, murorũ ingentes reliquiæ aliquibus in locis videntur, quas adhuc ne ipſum quidem, quòd omnia perdit tempus, nec coloni avidum genus ad omnia devaſtanda pervincere potuere. Foſſæ parvæ pro murorum magnitudine, in aliqua parte gemini neſcio qua cauſa videntur muri vix XXX aut XL paſſibus inter ſe diſtantes, fortaſſe Pomerium duplici muro claudebatur. Sed in hac regione non moſtrantur [ut erant] grandia, atque immenſa urbium veſtigia; cauſa eſt; quoniam lapides, & toti ferè ubique molles, ac fragiles, quos ventus, & imbres facilè exedunt, & comminuunt. Hydrunti, & Roccæ oppidi lapides cretæ compactæ, non igne coctæ, ſed Sole duratæ ſimiles ſunt, ita ut domus, quam pater ædificavit, à filio reficienda ſit: cum per tot ſæcula duret materies, mirum eſt, qui ventum, & imbrem non patiuntur: contra ignem vim habent indomitam: incolæ pyromachos vocant, quibus ad fornacem, & furnos, & caminos

minos utuntur. Ego non aliam cauſam aſſignaverim, niſi eam qua cocti lateres, ventos, & imbres, non cocti verò ignes melius patiuntur.

A Brunduſio Lupias pedeſtri itinere occurrit (60) BALESUS diruta, ac penitus deleta; quæ vix moſtrat urbis veſtigium ambitus murorum, ut oculis metiri licet, VII aut VIII erat ſtadiorum, ubi muri fuerunt, aggeres tantum, & lapidum cumuli cernuntur dumetis obſiti. Coloni arcem monſtrant, ubi eſt altior lapidum acervus, foſſæ penè oppletę ſunt, urbs tota aratris vertitur nomiſmata, & lapilli, quos Corneolos dicunt, variis inſigniti figuris ſępe reperiuntur. (61) Hic urbem mediam dividit VIA, quæ à Roma Brunduſium,

(60) *Baleſus diruta, ac penitus deleta*) A Guillelmo Neapolitanorum; ſivé utriuſque Siciliæ Rege, cognomento *Malo* anno Chriſti 1147 id factū Scriptores cōmemorant: Vide Hieronymum Marcianum in lib. IV. Cap. II. cit. Oper. Alcytium Tſſellum lib. 2. cap. 17 *Antiqvitatibus Leucæ*. Errant nonnulli arbitrantes non aliam Urbem olim fuiſſe *Baleſium*, quam Lycium. Eidem tamen commento inhæſere Raphael Volaterranus, Leander Albertus, Philippus Ferrarius, & alii Scriptores exteri.

(61) *Hic Urbem mediam dividit via, quæ à Roma Brunduſium*) Viam ipſam deſcribit Horatius lib. I. Sat. V. de eadem lib. 1. Epiſt. 18.

Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi.

F Cicero

ſium, & inde Lupias, & Rhudias, de hinc Hydruntum ducit. Hæc ſæpe inter Brunduſium, & Lupias, & inter Lupias, & Hydruntum paſſim hinc, atque illinc cernitur: quam viam incolæ Trajanam appellant. (62) Trajanus enim (ut ait Galenus, nono Therapeuticæ) antiquas vias in Italia correxit. Urbem in duas partes ſecat torrens, ut ex ripis coniicere licet. Rivulus fuit perennis aquæ, cujus originem, ſeu fontem in media urbe fuiſſe demonſtratur. Nec mirum eſt, multi fontes eſſe deſierunt, atque ubi fontes non fuerant,

Cicero in Orat. pro Cælio: *Appius Claudius cecus pacem Pyrrhi diremit, aquam adduxit, viam munivit.* Appiam viam commendant Strabo lib. V., Statius lib. 4. *Sylvar.* Carm. 2., Procopius lib. 1. *Hiſtoriar.*

(62) *Trajanus enim (ut ait Galenus)* Galeni cap. 8. hæc verba ſunt: *Itaque tum ſic ſe haberent omnes in Italia viæ, Trajanus eas refecit, quæ quidem earum humidæ, ac lutuoſæ partes erant, lapidibus ſternens, aut editis egeſtionibus exaltans: quæ ſenticoſæ, & aſperæ erant, eas expurgans: ac flumina, quæ tranſiri non poſſent, pontibus jungens, ubi longior, quam opus erat via videbatur aliam breviorem excidens: ſicubi verò propter arduum Collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens jam ſi obſeſſa feris, atque aſpera erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tum aſpera complanans.* Plura hodieque in Neapolitano Regno ſuperſunt lapidei Cippi Operis Indices, quæ Galatei coniecturam, & Galeni aſſertum comprobant, Vetus Inſcriptio Barenſi

fuerant, oriri videntur. Nonnullos fluminum alveos ſiccos videmus. Quid dicam de fontibus, & rivulis? ait Ariſtoteles Neque Nilus, neque Tanais ſemper fluxerunt. Non diu eſt, quod in Campania, tanta aquarum erupit multitudo, ut maximam partem ejus, quæ infra Nolam eſt regionis, & Nuceriæ campos inundaverit, & (quod mirabile eſt) maximam ſecum attulit piſcium copiam: que res

renſi apud Andræam della Monaca lib. II. Hiſtor. Brunduſii cap. 7.

IMPERATOR CÆSAR
DIVI NERVÆ F.
NERVA TRAJANUS
AUG. GERM. DEC.
PONTIF. MAX. TRIB. POT.
XIII. IMPER. VI. CONS. V.
P. P.
VIAM A BENEVENTO
BRUNDUSIUM
PECUNIA SUA FECIT.

Bartholomæus Tafurus Abavus meus in ſuis M. SS. Miſcellaneis vetuſtiſſimam tabellam marmoream Neriti in fundamentis Eccleſiæ S. Franciſci repertam commemorat, in qua exarata legebatur Inſcriptio:

D. M. S.
Q. VALERIO L. F. PAL. PARÆDIO
ÆD Q. IIII VIRO. COL. LUP.
PATRON. MUNIC. NERIT . . . .
CURAT. VIÆ TRAJANÆ
E. HERINNIA
CONIUGI DULCISS. B. M.
H. M. H. N. S.

F 2

quæ res Campaniæ peſtilentiſſima fuit. Nolam urbem penè depopulata eſt: nunc, ut erat ſiccus eſt campus. Hac in re motus terræ multum poſſunt; quin etiam, & terræ cultur. Ait Plinius: Oppido quodam deſerto cultoribus fontes defuiſſe, eiſdem redeuntibus, & terram colentibus fontes quoque rediiſſe. Ludovicus de Montealto Syracuſanus, vir acutiſſimi ingenii, non ſolùm legum, ſed multarum quoque aliarum rerum peritiſſimus, narravit mihi rem prodigioſam, nec dandam oblivioni: Arethuſam Anno Chriſt. M. D. V. ſexto die Decembris penitus defeciſſe, ita, ut alveus exaruerit. Inde XXV Januarii emittere cæpiſſe turbidas, & turbulentas aquas: poſt aliquot dies claras, ut ſolebat, ac limpidas: urbs hæc à mari tribus millibus paſſuum abeſt: in hoc ſpatio multa reperta ſunt ſepulchra ex albo marmore. Cùm eſſem in villula mea, quæ ab hoc loco diſtat ſex millibus paſſuum, ruſticus quidam, dum puteum foderet, invenit quaſdam tabellas candidiſſimi marmoris. Statim accerſivit me, ego non ſine magna ruſticorum manu huc me contuli: Invenimus innumera coctilia, & tabellas marmoreas, & varia vaſculorum genera: viſa ſunt mihi opera non ignavi artificis, nec pauperis Domini: [illegible] en[illegible]

Digitized by Google

erant ſumptuoſiſſimi operis: hoc mirum eſt, ita omnia terra operuerat, ut nihil ſuper terram videri poſſet, quamvis ſolum ſæpe aratris, & raſtris verteretur. Hæc extra urbis dirutæ muros circiter quingentis paſſibus aberat. Intra ruinas urbis temporibus patrum noſtrorum Marſilius quidam pauper ruſticus, civis Lupienſis magnam vim argenti repperit, hæc non fabula eſt: cognita re Maria comes Lupiarum, quæ poſteà fuit uxor *Ladislai* regis, in theſaurum manus injecit, quem poſt obitum Ladislai in maximos belli ſumptus, quod pro Alphonſo geſſerat, erogavit. Ab hoc loco diſtat V millibus paſſuum nobile quondam Cænobium ordinis magni *Baſilii*, quod de Ceratis dicitur, conditum à *Tancredo* Normanno Lupiarum comite, & ditatum magnis poſſeſſionibus, ubi *Græcorum monachorum* cætus morabatur, nunc penè deſertum eſt monaſterium ut & cætera omnia quæ in poteſtatem *Principum ſacerdotum* deveniunt. Hinc ad ſeptem millia paſſuum, urbes ſunt [*Strabone teſte*] mediterraneæ, ut dixi LUPIÆ, & RUDIÆ. Duas urbes id[illegible] pulus *habitabat*, ut de Neapoli dic[illegible] *copoli: quin etiam* inter ipſas [illegible] *erraneas fuiſſe ſpe*[illegible] *xilia ſibi invicem* [illegible] *cum*

Digitized by Google

urbes condere. Exemplo nobis ſunt Athenæ, Thebæ, Lacedæmon, Megara, Argi. Plato urbem ſuam quinque millibus domorum numerum excedere vetuit, ac ſi creſcat multitudo, colonias eſse mittendas juſsit. Ariſtoteles tantam eſse urbem ſtatuit, ut illius omnis populus vocem, & dicta præconis, aut concionantis facilè audire poſſit. Quinetiam, & urbes ſub ſalubri cœlo poſitæ, deletæ ſunt. Sicut & homines, ſic & urbes fata habent ſua. Sed civium negligentia urbem hanc infamavit: quæ ſi aquæ ſuos exitus apertos habuiſsent, nunquam tale nomen aſsecuta fuiſset. Nonnè vides Spinelle, quot mortales hoc anno Neapoli periere, aut longos paſſi ſunt morbos, præcipuè in ea parte, in qua caſtellum Capuanum, & forum, ob reſtagnantes aquas in paludibus, & in foſſis prędiorum, & obſtructos meatus, ſeu canales quà aquæ in mare profluebant, quondam regibus id curantibus.

Diſtat Brunduſium ab urbe Romā CCCLX millia paſsuum, à Dyrrachio urbe Illirica, ſeu, ut Ptolomæo placet, Macedonica, ad quam frequens erat trajectus Romanorum millia paſsuum, CCXX. Hęc urbs in primo bello Gallico ſemper in fidę Aragonentium partium perſeveravit. Domi-

nanti-

nantibus toti regno Gallis, (56) Iſabella, quæ poſteà regina fuit, Federici uxor, & Cæſar Ferdinandi filius nothus, huc ſe receperunt. Et quamvis invalidum haberent præſidium, Gallos tamen, duce eorum capto, ad Meſaniam octavo ab urbe lapide Brunduſini vicerunt: in qua pugna Spinetus Ventura, amicus noſter, ſtrenuè ſe geſſit, qui ducem Gallorum à ſe ſervatum Brunduſium captivum duxit. Qualis erat hæc urbs Romanis imperantibus, omnes noverunt Ait Lucanus:

Brundusii tutas conſcendit magnus in arces.

Sed qualis fuerit Guidonis temporibus illius hæc verba demonſtrant. Et poſt has antiquius cunctarumque nobilius Brunduſium, in quo (57) Eccleſia ſancti pontificis, & confeſſoris

(56) *Iſabella, quæ poſteà Regina fuit*) Hæc Triſtani de Claramonte Cupertinenſis Comitis filia fuit Ferdinando I. Aragoneo nupta, Femina religione, pietate, virili fortitudine, atq; conſtantia cum primis ſpectanda. Eruditione ipſa prædita, literatos Viros in pretio habuit, auxitque beneficiis. Laudatur à Pontano in lib. 1. de *Bello Neapolitano*: Joſepho Betuſſo in *Additionibus* ad librum Joannis Boccacci de *Mulieribus illuſtribus*: Franciſco Sanſovino in Hiſtoria *Familiæ Urſinæ* lib. VII. fol. 100. Jo: Antonio Summontio Tom. III. lib. V. *Neap. Hiſtor.* Nicolào Jannettaſio Soc. Jeſu in *Hiſtor. Neap.* lib. 42. fol. 45.

E (57) *Eccleſia Sancti Pontificis & Confeſſoris Chrileucii*)

feſsoris Chrileucii, egregio opere conſtructa, ubi & requievit, cernitur. Hanc urbem Romoaldus Beneventanorum princeps, cum Tarento ſimul cæpit, & diruit: ſimul quoque & cæteras civitates Salentinæ regionis: eo quòd exercitus Romanorum ab urbe Coſtantinopolitana miſsos ſuſciperent, & devotæ Orientali aulæ; aut antiquitus, dum Longobardorum gens divina miſſione Italiam infeſtaret, parérent. Hæc verba Spinelle, maximum perhibent teſtimonium integritatis, & fidei illius regionis, quæ non niſi veris imperatoribus parére ſolita eſt: nunc de mediterraneis dicendum eſt.

MEDI-

cii) Mendoſa lectio, meliores ſiquidem notæ M.SS. Codices *Chriſti Leuci* habent. Proprio tamen errore laborare videtur Galateus, cum Templum illud, quod egregio opere Brunduſii conſtructum cernebatur, Sancto Leucio Confeſſore tribuit. Ex priſcis ſiquidem monumentis conſtat Deo in honorem S. Leuci Epiſcopi & Martyris dedicatum fuiſſe. Plura Notarum anguſtiæ hic afferri non ſinunt; indicaſſe ſufficiat S. Gregorium Magnum Pontificem Maximum, qui lib. IX. Epiſt. 73. Martyrem Beatiſſimum illum appellat; ejuſq; Brunduſii Baſilica ad Petrum Hydruntinum Epiſcopum laudat. Dolemus planè ætate noſtra nobili, ac pervetuſto opere conſtructam Eccleſiam Paulum de Vilana Perlas Brunduſii Archiepiſcopum diruiſſe, ut lapides præſtantes haberet, quibus Clericorum Seminarium in Urbe conſtrueret.

MEDITERRANEÆ JAPYGIÆ DESCRIPTIO.

INter Brunduſium, & Tarentum duæ antiquæ urbes fuere: altera in humili colle, altera in plano ſita: utraq; campos frugum feraciſſimos, & paſcuis aptos: (58) Quæ in colle ſita, à plериſque URIA, ab aliis Oreas, ab aliis Uretum, nunc Oria dicitur. Omnia hæc nomina montanam urbem ſonant. Colles perennes habent fontes: in ſummo colle arx poſita eſt, & loco & mœnibus tutiſſima: urbs duplici muro cingitur. Hæc inter perpetuas plani-

(58) *Quæ in Colle ſita, à pleriſque Uria, ab aliis Oreas*) Si fides adhibenda eſt Viro doctiſſimo Quinto Mario Corrado in Epiſt. 74 ad Jo: Franciſcum de Rubeis; ab antiquiſſima Cretenſium gente originem duxit: Idem cum Quinto Mario ſentit Antonius Amateus in Epiſtola de *Vita, & moribus Quinti Marii Corradi* ad Baſilium Iſapace Salernitanum Caſſinatem Monacum. Conſule de re ipſa Chriſtopharum Foroliv ienſem in *Deſcriptione Magnæ Graciæ*, & Jeronymum Marcianum. Hæc Urbs à Quinto Fabio Maximo ſubacta, in ditionem Romanorum devenit. In prima fronte Majoris Uritanæ Eccleſiæ lapis extat cum Romana Inſcriptione à laudato Quinto Mario Corrado in citata Epiſtola relata:

D. M.
COCCEIA. M. F. PRIMA
V. A. XX. H. S. E
M. COCCEIUS LUCIFER
FILIÆ PIENTISSIMÆ

Sub an-

Sub annum Domini 547. capta à Totila. Ludovicus Imperator 867 inibi per plures dies incolatum fecit, ut ſcribit Anonymus Barenſis à Camillo Peregrino editus. 879 Galderii Beneventanii Principis municipium fuiſſe ſcribit Herempertus. A Saracenis anno 924 fuiſſe ſubactam, majoremque Civium partem captivam in Siciliam, & Africam adductam aſſerit Lupus Protoſpata in ſuis *Cronicis* ab erudito Antonio Caracciolo vulgatis. 977 ab Agarenis igne ferroque vaſtatam, ut ſupra laudatus Lupus Protoſpata notavit. 1055 à Malgerio Comite capta in ditionem Nortmannorum devenit, ut ſcripſit Aucthor Anonymus Cronici Nortmannici de *rebus adverſus Græcos in Apulia, & Calabria ab illis geſtis* à Clariſs. Viro Ludovico Antonio Muratori in Tom. V. *Rerum Italicarum* editus. A Rogerio Siciliæ Rege capta, ut Alexander Abbas Celeſtinus in ipſius *Rogerii Vita* lib. 1. cap. XII. A Manfredo obſeſſa, cum magno animi ardore reſtitit, ut notavit Aucthor Anonymus de *Rebus Friderici Imperatoris, & filiorum*, ab Ughello Editus in Tom. X. *Ital. Sac.* edit. Venet. A Petro Pacio Magni Ducis Cōſalvi ſtrenuo Milite per annum obſeſſa protegente, & auxiliante B. Barſanuphrio liberata eſt, ut Quintus Marius Corradus in *Oratione ad Cives Uritanos* iis verbis notavit: *Quum obſeſſa per annum hæc Urbs à Petro Pacio teneretur, ſæpe noctu Barſanuphrium in muris auguſtiſſimo forma, atque habitu, tum ſonitu, facibus, & militum frequentia, ab hoſtibus eſſe viſum: hiſque rebus Pacium adductum à Conſalvo Magno Duce petiviſſe, ut conditiones pacis mitteret, & à bello, oppugnandaque Urbe diſcederet.* Laudatus Quintus Marius Corradus præcipuam Uritanæ Urbis hiſtoriam ſcripſit, teſte Andræa della Monica lib. 1. cap. VIII. *Brunduſinæ hiſtoriæ.* Thomas verò Albaneſius librum adornavit de *Situ & antiquitate Uritanorum*, ut teſtatur Dominicus de Angelis in 2. parte *Vit. Litterat. Salent.* in Vita Jo: Caroli Bovii Brunduſini, & Uritani Archiepiſcopi. Donatus Caſtiglione Philoſophus, & Medicus experientiſſimus librum de *Cælo Uritano* compoſuit.

planities in colle poſita, perpulchrum undiq; ſui reddit proſpectum. Hæc Alphonſo primo Apuliæ rege extra regnum agente, cum Lupiis, Tarento, & Gallipoli conſentiens, à Joannæ reginæ duce Jacobo Caldora, dum Aragonenſes partes ſequeretur, vi capta, ac direpta eſt, & majori ex parte igne ferroque vaſtata. In hoc bello, quod inter Hiſpanos Galloſque geſtum eſt, quoniam arci non parvum Gallorum præerat præſidium, neceſſariò Gallorum partes ſequuta eſt muris, quamvis ii non ſatis erant validi, dirutis, & Hiſpanis penè mœnibus potitis, Hiſpanorum ſæpe impetus pertulit, & pertinaciſſimè reſtitit. Urbs nullum aut paucum habens intus præſidium, & bellis inſueta, ſine ulla ſpe auxilii. Tandem deſperatis de auxilio Gallis, & urbi conſentientibus, urbs in deditionem venit, his conditionibus, ut urbs ſervaretur, & Galli cum ſuis ſarci nulis incolumes abire permitterentur. Unde rectè quis conijcere poterit, non magnitudine murorum, non foſſarum altitudine, ſed virorum animis, & virtute, regna atque urbes ſervari, atque defendi. Fortè non nimis malè Lacedęmonii opinabãtur, quamvis Ariſtoteles aliter ſenſerit. Hi urbem ſuam tanquam pecodum gregem muris claudi paſſi non ſunt: hoc modo enervari

vires

vires animorum putabant, dum muris, turribus, & foſſis confiderent: ferro enim, non lapidibus, & repagulis ſalutem eſſe committendam. Non ſecus exiſtimabant antiquorum quidam, qui nihil literis mandandum eſſe cenſebant: nam immemores, & obliviosos fieri, qui chartis ſuam ſervant ſcientiam. Ideo Hippocrates [ut ait Galenus] uſus eſt breviloquio antiquo; & leges quæ nunc ſunt verboſiſſimæ, decem primò, dehinc duodecim parvis tabellis continebantur, & Lacedæmonii jure, non ſcripto utebantur, & Dominus noſter breviloquam docuit orationem. Nunc tanta eſt librorum copia, & magnitudo, ut non ſolùm dicta, ſed ne nomina quidem auctorum memoriter tenere valeamus. Ridebis fortaſsè Spinelle, Galateum, qui brevi tandem ſuadet, cum ipſe prolixus ſit, ſed hoc ritè fit. Breviloquium non poteſt cōmendari, aut damnari multiloquium niſi longa, & prolixa oratione; Galenus cauſam prolixitatis ſuarum conſcriptionum refert ad eos, qui falſa dogmata invexerunt, in quibus confutandis longis ſermonibus opus eſt. Ego non libros, ſed inanem immenſitatem recentiorum librorum, qui non niſi arrogantiæ, & depravandorum ingeniorum, & alēdorum impreſſorum cauſa ſcripſere. Non ego

muros, & munitiones damnaverim, ſed hoc mihi ſemper perſuaſum velim, quod noſtris malis didicimus: nihil nobis tot ſumptus, tot munitiones profuiſse, ſolamque eam artem tutiſsimam eſse, quam valentes volenteſque tutantur: nec tibi è mente excidat, Oriæ ſumus: Undè VIII millibus paſsuum abeſt (59) MANDURIUM: alii Menturum: Stephanus *mandirion*: unde Mandirini, incolæ Manduri-

(59) *Mandurium, alii Menturum*) Originem hujus priſcæ & illuſtris Urbis ad Cretenſes referunt fundatores Uriæ: cui ſententiæ adſtipulantur univerſi ferè Scriptores Rerum Japygiæ, præſertim Q. Marius Corradus in *Hiſtoria M. S. Uritanorum*. Hieronymus Marcianus lib. 4. Cap. 10. laudati Operis. E ruderibus, quæ paſſim in antiquo Civitatis ſitu ſemiſepulta ſpectantur: amplam quondam Urbem fuiſſe licet arguere. Frequentiſſimam etiam fuiſſe Populo, ex eo potiſſimum liquet, quod ſubacta à Q. Fabio Maximo, quatuor captivorum Civium millibus Romanorum Triumphum auxit, teſte Livio lib. III. decad. VII. Sub annum Domini 547 à Totila capta. 924 à Saracenis depopulata: anno tandem 977 ab Agarenis æquata ſolo eſt. Robertus Viſcardus poſt Græcos exactos, potitus Provincia exciſam Urbem novo Populo opplevit, inſtauravitq; quo modo licuit. Unde poſteà Oppido *Caſalnuovo* poſteriori ævo nomen factum. Nihil Galateus de celeberrimo Mandurii Fonte memorato à Plinio in lib. 2. cap. 103 *Natur. Hiſt.* cæteriſque noſtratibus, & exteris Scriptoribus, ut à Clariſſimo Viro Philippo Rondinino in *Hiſtoria Baſilicæ S. Clementis* lib. II. Cap. XI. Abb. Dominico de Angelis in principio Vitæ Ferdinandi Donno. Quod ſane mirum; quum alibi minoris momenti res ſtudioſé Poſteritati commendaverit.

Mandurinum dicunt. Hoc enim à Quinto Fabio vi captum fuiſſe Livius auctor eſt. In plano ſitum erat oppidum mediocris, ac juſti ambitus: hujus in extrema Occidentali parte ex veteribus ruinis conſtructum eſt oppidum, quod CASALE NOVUM dicunt, pluſquam CCCC focis habitatum, murorũ ingentes reliquiæ aliquibus in locis videntur, quas adhuc ne ipſum quidem, quòd omnia perdit tempus, nec coloni avidum genus ad omnia devaſtanda pervincere potuere. Foſſæ parvæ pro murorum magnitudine, in aliqua parte gemini neſcio qua cauſa videntur muri vix XXX aut XL paſſibus inter ſe diſtantes, fortaſſe Pomerium duplici muro claudebatur. Sed in hac regione non moſtrantur [ut erant] grandia, atque immenſa urbium veſtigia; cauſa eſt; quoniam lapides, & toti ferè ubique molles, ac fragiles, quos ventus, & imbres facilè exedunt, & comminuunt. Hydrunti, & Roccæ oppidi lapides cretæ compactæ, non igne coctæ, ſed Sole duratæ ſimiles ſunt, ita ut domus, quam pater ædificavit, à filio reficienda ſit: cùm per tot ſæcula duret materies, mirum eſt, qui ventum, & imbrem non patiuntur: contra ignem vim habent indomitam: incolæ pyromachos vocant, quibus ad fornacem, & furnos, & ca-

minos

minos utuntur. Ego non aliam cauſam aſſignaverim, niſi eam qua cocti lateres, ventos, & imbres, non cocti verò ignes melius patiuntur.

A Brunduſio Lupias pedeſtri itinere occurrit (60) BALESUS diruta, ac penitus deleta; quæ vix moſtrat urbis veſtigium ambitus murorum, ut oculis metiri licet, VII aut VIII erat ſtadiorum, ubi muri fuerunt, aggerea tantum, & lapidum cumuli cernuntur dumetis obſiti. Coloni arcem monſtrant, ubi eſt altior lapidum acervus, foſſæ penè oppletę ſunt, urbs tota aratris vertitur nomiſmata, & lapilli, quos Corneolos dicunt, variis inſignitì figuris ſępe reperiuntur. (61) Hìc urbem mediam dividit VIA, quæ à Roma Brunduſium,

(60) *Baleſus diruta, ac penitus deleto*) A Guillelmo Neapolitanorum; ſivè utriuſque Siciliæ Rege, cognomento *Malo* anno Chriſti 1147 id factũ Scriptores cõmemorant: Vide Hieronymum Marcianum in lib. IV. Cap. II. cit. Oper. Alcytium Teſſellum lib. 2. cap. 17 *Antiquitatibus Leucæ*. Errant nonnulli arbitrantes non aliam Urbem olim fuiſſe *Baleſum*, quam Lycium. Eidem tamen commento inhæſere Raphael Volaterranus, Leander Albertus, Philippus Ferrarius, & alii Scriptores exteri.

(61) *Hìc Urbem mediam dividit via, quæ à Roma Brunduſium*) Viam ipſam deſcribit Horatius lib. I. Sat. V. de eadem lib. 1. Epiſt. 18.

Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi.

 Cicero

ſium, & inde Lupias, & Rhudias, de hinc Hydruntum ducit. Hæc ſæpe inter Brunduſium, & Lupias, & inter Lupias, & Hydruntum paſſim hinc, atque illinc cernitur: quam viam incolæ Trajanam appellant. (62) Trajanus enim (ut ait Galenus, nono Therapeuticæ) antiquas vias in Italia correxit. Urbem in duas partes ſecat torrens, ut ex ripis coniicere licet. Rivulus fuit perennis aquæ, cujus originem, ſeu fontem in media urbe fuiſſe demonſtratur. Nec mirum eſt, multi fontes eſſe deſierunt, atque ubi fontes non fuerant,

---

Cicero in Orat. pro Cælio: *Appius Claudius cecus pacem Pyrrhi diremit, aquam adduxit, viam munivit.* Appiam viam commendant Strabo lib. V., Statius lib. 4. *Sylvar.* Carm. 2., Procopius lib. 1. *Hiſtoriar.*

(62) *Trajanus enim (ut ait Galenus)* Galeni cap. 8. hæc verba ſunt: *Itaque tum ſic ſe haberent omnes in Italia viæ, Trajanus eas refecit, quæ quidem earum humidæ, ac lutuoſæ partes erant, lapidibus ſternens, aut editis egeſtionibus exaltans: quæ ſenticoſæ, & aſperæ erant, eas expurgans: ac flumina, quæ tranſiri non poſſent, pontibus jungens, ubi longior, quam opus erat via videbatur aliam breviorem excidens: ſicubi verò propter arduum Collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens jam ſi obſeſſa feris, atque aſpera erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tum aſpera complanans.* Plura hodieque in Neapolitano Regno ſuperſunt lapidei Cippi Operis Indices, quæ Galatei conjecturam, & Galeni aſſertum comprobant, Vetus Inſcriptio Barenſi

fuerant, oriri videntur. Nonnullos fluminum alveos ſiccos videmus. Quid dicam de fontibus, & rivulis? ait Ariſtoteles Neque Nilus, neque Tanais ſemper fluxerunt. Non diu eſt, quod in Campania, tanta aquarum erupit multitudo, ut maximam partem ejus, quæ infra Nolam eſt regionis, & Nuceriæ campos inundaverit, & (quod mirabile eſt) maximam ſecum attulit piſcium copiam: queres

---

renſi apud Andræam della Monaca lib. II. Hiſtor. Bruduſii cap. 7.

IMPERATOR CÆSAR
DIVI NERVÆ F.
NERVA TRAJANUS
AUG. GERM. DEC.
PONTIF. MAX. TRIB. POT.
XIII. IMPER. VI. CONS. V.
P. P.
VIAM A BENEVENTO
BRUNDUSIUM
PECUNIA SUA FECIT.

Bartholomæus Tafurus Abavus meus in ſuis M. SS. Miſcellaneis vetuſtiſſimam tabellam marmoream Neriti in fundamentis Eccleſiæ S. Franciſci repertam commemorat, in qua exarata legebatur Inſcriptio:

D. M. S.
Q. VALERIO L. F. PAL. PARÆDIO
ÆD Q. IIII VIRO. COL. LUP.
PATRON. MUNIC. NERIT . . . .
CURAT. VIÆ TRAJANÆ
E. HERINNIA
CONIUGI DULCISS. B. M.
H. M. H. N. S.

quæ res Campaniæ peſtilentiſſima fuit. Nolam urbem penè depopulata eſt: nunc, ut erat ſiccus eſt campus. Hac in re motus terræ multum poſſunt; quin etiam, & terræ cultura. Ait Plinius: Oppido quodam deſerto cultoribus fontes defuiſſe, eiſdem redeuntibus, & terram colentibus fontes quoque rediiſſe. Ludovicus de Montealto Syracuſanus, vir acutiſſimi ingenii, non ſolùm legum, ſed multarum quoque aliarum rerum peritiſſimus, narravit mihi rem prodigioſam, nec dandam oblivioni: Arethuſam Anno Chriſt. M. D. V. ſexto die Decembris penitus defeciſſe, ita, ut alveus exaruerit. Inde XXV Januarii emittere cæpiſſe turbidas, & turbulentas aquas: poſt aliquot dies claras, ut ſolebat, ac limpidas: urbs hæc à mari tribus millibus paſſuum abeſt: in hoc ſpatio multa reperta ſunt ſepulchra ex albo marmore. Cùm eſſem in villula mea, quæ ab hoc loco diſtat ſex millibus paſſuum, ruſticus quidam, dum puteum foderet, invenit quaſdam tabellas candidiſſimi marmoris. Statim acceſſivit me, ego non ſine magna ruſticorum manu huc me contuli: Invenimus innumera coctilia, & tabellas marmoreas, & varia vaſculorum genera: viſa ſunt mihi opera non ignavi artificis, nec pauperis Domini: thermæ enim

erant

erant ſumptuoſiſſimi operis: hoc mirum eſt, ita omnia terra operuerat, ut nihil ſuper terram videri poſſet, quamvis ſolum ſæpe aratris, & raſtris verteretur. Hæc extra urbis dirutæ muros circiter quingentis paſſibus aberat. Intra ruinas urbis temporibus patrum noſtrorum Marſilius quidam pauper ruſticus, civis Lupienſis magnam vim argenti repperit, hæc non fabula eſt: cognita re Maria comes Lupiarum, quæ poſteà fuit uxor Ladislai regis, in theſaurum manus injecit, quem poſt obitum Ladislai in maximos belli ſumptus, quod pro Alphonſo geſſerat, erogavit. Ab hoc loco diſtat V millibus paſſuum nobile quondam Cænobium ordinis magni Baſilii, quod de Ceratis dicitur, conditum à Tancredo Normanno Lupiarum comite, & ditatum magnis poſſeſſionibus, ubi Græcorum monachorum cætus morabatur, nunc penè deſertum eſt monaſterium, ut & cætera omnia quæ in poteſtatem Principum ſacerdotum deveniunt. Hinc ad ſeptem millia paſſuum, urbes ſunt [Strabone teſte] mediterraneæ, ut dixi LUPIÆ, & RUDIÆ. Duas urbes idem populus habitabat, ut de Neapoli dicunt, & Palæopoli: quin etiam inter ipſas fama eſt ſubterraneas fuiſſe ſpecus, per quas mutua auxilia ſibi invicem

cum opus erat, præſtabant. (63) Inter has urbes minus quam duum millium paſſuum ſpatium interjacet. Rhudiæ, ſeu Rhodeæ, & à Stephano *Rhôdæ*, ſeu Rui, per literam i vocalem, ſive per j literam conſonantem craſſo quodam, ut mos eſt, regionis ſono Rutæ dicuntur: unde Lupiarum porta, & quarta pars urbis, quam Pittacion Græco nomine appellant, Rhudiarum dicuntur. Hæ penitus interiere, ut vix cognoſcas quo loco fuerint; tantum nomen raſtat inane. Ovidius quinto decimo Metamorphoſeos, fabula quadrageſima ſecunda:

Vile ſolum Spartæ eſt, altæ cecidere Mycenæ,
& campus eſt, ubi troia fuit.

Quid de miſeris mortalibus putandum, quãdo urbes ſic pereunt? Dixi nobilitatem hujus regionis fuiſſe antequam hi, quos habemus ſcriptores naſcerentur. Si Eratoſthenem, Artemidorum, Hipparchum, & vetuſtiores haberemus, multarum urbium: quarum hìc buſta, & ut ſic dicam cadavera ſolùm cernimus,

(63) *Inter has Urbes minus quam duum millium paſſuum ſpatium interjacet*) Ipſemet Antonius Galateus clarius deſignans hoc intervallum in Epiſtola ad Loyſium Paladinum hæc ſcribit: *Inter ipſas Urbes nihilo plus, quàm ſpatium tredecim ſtadiorum interjacet*, quod verum eſt.

cernimus, & nomina, & geſta nota eſſent. Non placet in hoc Strabonis ſententia: ait enim, ſe tantum ea loca ſcribere, quæ ſuo tempore clara erant, & nota: ſcire verò quæ occubuerant, nullam eſſe ait utilitatem. Ego eorum, qui aliqua memoratu digna geſſerunt, & ſi vita functi ſint, malo habere cognitionem, quàm eorum, qui nunc illuſtres habētur: Soleo cum amicis ſæpe affirmare, me malle videre buſta urbium Græciæ, & beatas, & deſertas illas inſulas, quæ toto orbe clariſſimæ fuere, quàm Galliarum, Hyſpaniarumque, & Germaniæ opulentiſſimas, & populoſiſſimas urbes. Sunt qui vetuſtatem generis ſui, nobilitatemque rerum omnium indigam, rebus omnibus præferant, & novis hominibus, quamvis gratioſis, atque à regibus, & populis honoratis, & magiſtratibus ornatis. Sic ego ſoleo veteres recentioribus anteferre, & (ut ſic tua venia dicam) plus antiquorum mendaciis, quæ nulla fuere, quàm recentiorum veritati credere: & illorum ſequi potius negligentiam, quam iſtorum obſcuram diligentiam. Ait Mela: Cive Ennio nobiles Rhudias: circa nomina ipſa variant auctores, & loca, & nomina transmutant. In hac de qua loquimur regione, exemplo nobis eſt Ptolomæi deſcriptio, quę multa alibi,

quàm ſint, locat: ſive id acciderit aliorum relatu ſive auctoris incuria, ſive quod chorographiam rectè ſcribere nemo poteſt, niſi qui in ea regione diu verſatus, aut natus fuerit: ſive tranſcriptorum, aut translatorum inſcitia, & librorum mendoſitate, neſcio: hoc tantum habeto à me, quod conijectura, & lapidum inſcriptionibus compertum habeo, (64) has eſſe Rhudias, quæ Lupiis cõterminæ ſunt, & in quibus natus fuerit Q. ENNIUS Poeta. Harum ædificia tempus obruit & ruſticus, & antiquitatũ omniũ everſat aggeres: Alicubi

(64) *has eſſe Rhudias, quæ Lupiis conterminæ ſunt, & in quibus natus fuerit Quintus Ennius Poeta*) Ennium Poetam Rhudiis prope Lycium nulla ſolida ratione natum eſſe Aucthor noſter ſcribit, quam ſententiam non pauci Scriptores ſequuti ſunt, ut Alexander ab Alexandro in *Gienialium dierum* lib. III. Cap. XXX. Jacobus Antonius Ferrarius in *Paradoſſica Apologia* lib. I. Queſt. VI. Hieronymus Marcianus in M. SS: *Deſcriptione Hydruntinæ Regionis*. Andræas della Monica in lib. 2. cap. 9. *Brunduſinæ Hyſtoriæ*. Julius Cæſar Infantinus in ſuo libro inſcripto *Lecce Socra* pag. 221. Pater Antonius Beatillus in *Annotationibus* ad *Vitam S. Irenæ Martyris*. Peregrinus Scardinus in *Deſcriptione Civitatis Lycii*: multique alii, quorum ſcriptis eruditus Dominicus de Angelis ſuam *Diſſertationem* de Patrio Ennii ſolo conſtabilire niſus eſt adverſus Joſephi Baptiſtæ opinionem; qui Rhudiis prope Griptalias in agro Tarentino natum eſſe contendit in *Epiſtola* ad Franciſcum Bonomi, ut autem animo defecato hiſtoricam veritatem agnoſcere poſſimus in re tam antiqua antiquis

antiquis Scriptoribus potius, quam Recentioribus ſtandum eſt. Strabo, qui Tiberio imperante floruit, de Regione noſtra, & de Quinti Ennii Patria in lib. VI. *Geograph.* ſcribit, quamvis Strabonis locus corruptè apud laudatum de Angelis legitur; hæc igitur ſunt verba é Græca in Latinam linguam ab erudito Viro Georgio Tifernali converſa. *Ex Leucis quidem ad Hydruntem Urbeculam ſtadiorum CL hinc Brunduſium XL ſtadia ſunt totidem ad Saſonem Inſulam, quæ ipſius intervalli, quæ inter Epyrum, & Brunduſium interjacet media ſita eſt; eapropter, qui rectum navigando tenere curſum nequeunt à Saſone ad Hydruntem levorſum iter faciunt. Hinc obſervato ferente vento Brunduſinis propinquat portibus, & egreſſi Rhodios Urbem Græcam pedeſtres ocius advertant, cujus oriundus Ennius Poeta fuit. Locus igitur navigatione circumdandus. E Tarento Brũduſium cherſoneſo per quam ſimilis eſt. E Brunduſio Tarentum via expedito Viatori uno navata die ejus, quam dixi Cherſoneſi iſthmum efficit. Eam & Meſſapiam, & Japygiam, & Calabriam, & Salentinam appellatione nuncupant. Et quidem, ut antea diximus dividunt, exigua quæ præter navigantibus obvia Oppida commemorata ſunt. Cætera in mediterranea Regione Rodiæ ſunt, & Lupiæ, & paululum à Mari ſemota Salapia.* En duæ Rhudiæ á Strabone commemoratæ, primum Oppidum inter Brunduſium, & Tarentum conſtituit, illudque Ennii Patriam dixit, Alterum prope Lupias, & de hoc verba faciens, nullam de Ennio Cive ſuo mentionem ingeſſit. Enim veró ſi qua par eſt diligentia Veterum Scriptorum locos natale Ennii ſolum indicantes expendere velimus, facili negotio deprehendemus, quibus Rhudiis: & cui potiſſimum Sallentinæ, & Calabræ Regionis parti tribuendus Vir tantus meritò ſit. Japygiæ pars, quę Rudias juxta Lupias excipiebat, imamque conſtituit Provinciæ Oram montibus careتea ob Camparum, agrorumq; æquora à Virgilio lib. 3. Æneid. *humilis Italia* jure dicitur:

. . . . . *humilemque videmus*
Italiam . . . .

Ea verò

Ea verò Provinciæ pars, quæ Tarentinum compleɛtitur Territorium, & Tarentinas Rhudias, montibus aſpera eſt, atque in hac non, non autem illa natales habuiſſe Ennium, antiqui Scriptores produnt. Ovidius lib. 3. de *Arte amandi*:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus.

Silius Italicus:

Ennius antiqua Meſſapi ab origine Regis
Maximus ingenio, gravis ore: huc hiſpida tellus
Miſerunt Calabris . . . . .

Pater Meliſſus in ſuis Carminibus de *Urbibus Italiæ*:

Montibus in Calabris Rudiæ genuiſtis, agreſtes
Pater Poetarum Ennium,
Qui Scipionis Africani
Carmine res geſtas deſcripſit . . . .

Caſpar Barleus lib. 3. fol. 188 *Carmin.* in obitum Jani Rutgerſii:

. . . . . *Calabrumque in montibus ortus*
Ennius . . . .

Quamvis autem noſter Antonius fidem non habet Guidoni Ravennati antiquo Scriptori, quod ille Tarentinum Ennium appellaverit: in hoc reprehendendus eſt, qui ſuum Guidonis putavit errorem. Enim verò nulli partium ſtudiis addictus in Æmilia natus author jure Tarentinum Poetam appellavit, qui in Tarentino natus erat Territorio, & juxta Tarentum. Altera etiam non minus gravis afferto ſubeſt ratio; diſcriminandi nimirum obſcuræ, & ancipitis nominis Ennianæ Patriæ cauſſa: Quum enim duplex eſſent in Japygia Rhudiæ: ut alterus ab alteris diſtingueret, in Tarentino natum Territorio, Tarentinum dixit: ab Urbe nimirum Ditionis principe. Non aliter Achilles quamvis Ithacam haberet Patriam, Lariſſeus nihilominus eſt dictus ab Hiſtoricis, quod Lariſſa illuſtrior eſſet, atque nobilior, cui patria ſuberat; Ioannes Boccaccius natus eſt Certaldi: Florentinum tamen eadem ratione Scriptores appellantur, ſexcenta in rem ipſam afferre poſſemus exempla: ſi id argumenti genus luculentiori calamo à nobis tractatum non eſſet in peculiari

Alicubi murorum cernuntur ſepulchra innumera fictilibus vaſculis, & oſſibus plena. Hujus urbis nomen & fama apud complures homines ut & ipſa cecidit: nunc tota aut ſeritur, aut oleis conſita eſt, ac decimam partem omnium fructuum, qui hic naſcuntur, ſingulis annis genero meo ſervit. Solo Q. Ennii nomine urbs collapſa, ſubteſtatur: qui tam diu vivet, quàm diu erunt latinæ literæ. (65) Hic Scipionibus adeò charus fuit, ut illius ſtatua inter Scipionum ſtatuas in illorum ſepulchris locari mereretur: LUPIÆ proxime ſunt. Urbem hanc alii Lupias, alii Lypias, alii Lopias, alii Lupium, alii Liſpiam, alii Lypiam, alii Aletium, alii Licium, alii Lictium, à Lictio Idomeneo, alii Liceam: omnia hæc

culiari *Diſſertatione de Germana Ennii Patria*, quam propediem ſumus edituri, ut morem geramus Viro nobili, atque eruditione multiplici exculto Ignatio Mariæ Como Neapolitano Amico noſtro.

(65) *Hic Scipionibus adeò charus fuit*) De hujus generis honore à Magno Scipione celeberrimæ Ennii memoriæ collato perſpicua ſunt veterum Scriptorum teſtimonia. Ovidius lib. 3. de *Arte amandi*:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi

Valerius Maximus lib. 8. cap. 14. *Superior Africanus Ennii Poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera ſua illuſtrata judicaret.* Solinus

hæc nomina idem ſunt. Auctores non omniū habuere cognitionem, præcipuè eorum, quæ longè ab illorum patria ſemota ſunt: nobis, qui hæc habitamus loca credendum eſt. Circum adjacentes urbi veteres Græci [quod maximum teſtimonium eſt] *Lupion* appellant, antiqui latini *υ* Græcam literam in v noſtrū, ut ſoliti ſunt, verterunt. Eſt lapis Neapoli apud divam Mariam de Libera his literis inſcriptus:

M. BASSAEO M. F. PAL. AXIO
PATR. COL. CUR. R. P. II. V. IR. MUNIF.
PROC. AUG. VIAE. OST. ET. CAMP.
TRIB. MIL. LEG. XIII. GEM. PROC. REG.
CALABRIC. OMNIBVS. HONORIB. CAPUAE.
FUNC. PATRA. COL. LUPIENSIUM: PATR.
MVNICIPI. HVDRENTINOR. VNIVERSUS. ORDO.
MUNICIP. OB. REM. PUBLI. BENE. AC.
FIDELITER. GESTAM HIC PRIMUS. ET SOLUS.
VICTORES CAMPANIAE PRETIS. AESTIM.
PARIA. GLADIAT. EDIDIT.
L. D. D. D.

Lupiæ

Solinus cap. 6. *Africanus prior Q. Ennii ſtatuam imponi ſepulchro ſuo juſſit*. Plinius lib. 7. cap. 30. *Prior Africanus Q. Enni ſtatuam ſepulchro ſuo imponi juſſit, clarumque illud nomen, immo verò ſpolium ex tertia Orbis parte raptum in cinere ſupremo cum Poetæ titulo legi*. Conſule Zuerium Boxornium in Commentario ad Satiram Sulpitii *De corrupto ſtatu Reipublicæ*. Diomedem Burgheſium in *Epiſt.* ad Scipionem Gonzagam ſuorum Italorum Carminum præfixa; Angelum Politianum in ſuis Carminibus: Patrem Meliſſum in libro Epigrāmatum de *Urbibus Italicis*.

Lupiæ longè à mari Ionio VIII. millibus paſſuum poſitæ ſunt. Hæ pari ſpatio diſtant à Gallipoli, quæ eſt in ſinu Tarentino, & ab Hydrunte, & Brunduſio, quæ in Ionio ſunt eminus XXIIII aut XXV mill. paſſ. à Tarento autem L. Hanc urbem antiquiſſimam, atque ampliſſimam fuiſſe, quæ ſub terra ſunt demonſtrant arcus, cuniculi, fornices, & vaſta fundamenta ædificiorum, ſed non præpolita. Nōdum enim Græcia, aut Philoſophiā, aut Architecturam, aut alias artes egregias quas poſtea invenit, noverat: ſcilicet arma magis Lictius Idomeneus, quam literas, aut architecturam noverat. Hæc omnia illo dominante, aut ante illum ſub Japygibus antiquis, aut ſub Malennio urbis conditore facta fuiſſe conjicio. Everſa Troja, ut Diomedes, Diomedeas inſulas, Garganum montem, Argyripam, Canuſium, & circum adjacentes campos, ſic

Salentinos obſedit milite campos
Lictius Idomeneus, Hic ejectis, aut ſubactit Japygibus, fere omnem peninſulam Cretenſium coloniam fecit: linguam, & literas Græcas invexit: lingua, & literis Maſapiis abolitis: aſſumptis Græcis fortè cultoribus, aut quia illis victores utebantur. Solent enim victi populi in victorem, & linguam, & mores,

res, & veſtes tranſire, neque indocilis eſt infelix Italia ad peregrinos, & mores, & habitus capeſſendos. Cretenſes quondam mari imperaſſe, & omnes Græcas inſulas, aut ſubegiſſe, aut habitaſſe, auctor eſt Ariſtoteles: ait etiam: Videtur enim inſula optimè poſita ad imperandum toti mari. Quinetiam, & Cretenſes Athenarum potiti ſunt, & Cyrenaicam provinciam habitaverunt. Illorum & nos ſumus colonia. Varia urbis de qua loquimur fuit fortuna. Antiqua urbs tota concidit, ac per plurimos annos deſerta jacuit, ac vicatim habitavit. Inde Guidonis tempore talis erat, qualem dicemus. Deinde ſolo æquatam iterum fuiſſe, & fama, & conjectura eſt: quo tempore, aut quibus hoſtibus ignoratur. Deinde coaleſcere cœpit, non parvo incremento uſque ad mortem Joannis Antonii Principis Tarentini: quo vita functo, cæpit in pejus ruere, ac retrò ſub lapſa referri. Neſcio qua nam id evenerit cauſa, niſi quæ rerum humanarum publica eſt, qua innumerabiles quoque urbes interiere. Ea, tempus eſt aut peſtes, aut illuviones, aut puſilla animalia, quibus pleræque urbes delétæ ſunt; ſed potiſſima cauſa bella ſunt quæ [ut ait Ariſtoteles] parvo temporis curriculo rerum faciem permutant. Everſa, ut dixi, urbs, ut

videre

videre licet in vicos abiit. Hic locus ſtatio militum erat, Plinio teſte: quorum militum, aut quo duce, aut qua ratione incertum eſt. Quæ nunc Lupiæ ſunt, Strabonis tempore, aut parvæ erant, aut nullæ: ait enim: Non vetera, ſed recentiora procurrens loca. Nunc præter Brunduſium, & Tarentum, cætera parva ſunt oppidula. Ptolomæus, qui Lupias maritimam urbem inter Hydruntum, & Brũduſium locat, relatui ſtetiſſe videtur aliorum: aut Rocham intellexit, quam in agro, ſeu ora Lupienſi ſitam diximus, & quæ nomen fortaſſe ab antiquis Lupiis accepit. Quo tempore urbs condita fuerit non conſtat, nec mihi tantum curæ, aut otii eſt ea percontari, ſeu potius divinare, quæ ante Nohæ, & diluviũ fuere, (66) quod Viterbienſis fecerat. Sed non dubium teſtimonium eam urbem ante advẽtum

(66) *quod Viterbienſis fecerat*) Joannem Annium doctrina, & eruditione clarum intelligit: qui Ordinis Prædicatorum Alumnus, Alexandro VI. Pontifice Max. Magiſtri Sacri Palatii munere functus eſt. In quem ob illuſtratas patrias antiquitates præcipuis Commentariis, editaque vetuſtiſſimorum Scriptorum nomine, quæ in antiquis Codicibus invenerat fragmenta vir probus, & nil tale merens iniquiſſimas à pluribus egregiis Scriptoribus cenſuras, & notas patitur; non defuere tamen, qui Annii nomen, & integerrimam indolem ſtrenuè defenderint. In re ſanè graviſſima multa ſecernen-

tum Idomenei, hoc eſt ante captam Trojam, conditam fuiſſe, quæ in vita Marci Antonii ſcribuntur præſtare poſsunt: Marcum Antonium maternum genus duxiſſe à rege Salentinorum Mallenio, qui Lopias condidit. Hic an Japix fuerit, an Græcus, nō conſtat, ejus memoria abolita eſt. Si quis Matheſi credit, ſciat hanc urbem ſub Capricorno, & Saturno poſitam eſſe. Quo in ſtatu Res Lupienſis erat tempore Guidonis Revennatis illius verba oſtendunt. Dehinc, hoc eſt, poſt Brūdulium, urbs Lycea Idomenei regis, de qua Virgilius: *Salentinos obſedit milite campos Lictius Idomeneus*, theatrum tantummodo, cæteris mœnibus ſolo æquatis, olim ſolemni ſtudio conditum habet, in cujus jam incolæ parvum penè lapſum municipium ſibimet, quod nomen antiqui reſervat facere culmine, quod figuram magis urbis, quàm eandem urbem exprimit. In hujus ſuburbanis monumenta antiquorum innumera ſub divo expoſita, ſolido ſculpta cernūtur lapide, cui

ſecernenda. Plura etiam maturo, & integro ſunt expēdenda judicio, ut extrema quæque vitentur vitia; cavendumque ſedulò Commentis, & Larvis rem agamus, dum fabulas ab hiſtoriis, vera ab falſis arcere nitimur. Nihil enim magis veritati obeſt, quam cæco impetu omnia involvere amore nimio, vel odio in Authores abrept:

cui conjuncta civitas Rugæ dignoſcitur. Ab hac uſq; Hydruntum, quæ in littore, & portu ejuſdem Lyceæ ſita eſt XXX, feré milliaria ſupputantur. Rhudiæ, non Rugæ ſcribūtur: ſed Guido vulgari incolarum ſermone deceptus eſt: qui Rhudias, ut diximus, craſſo quodam ſono patrio more pronuntiant. Lupiæ in colle tam humili ſitæ ſunt, ut neſcias an in colle, an in plano jaceant, niſi cum longè proceſſeris. Cœlum ſaluberrimum eſt, æſtate tamen percalidum, hyeme tepidum, ſeu non nimis frigidum, imò quarundam aliarum terrarum aëri verno perſimile. Ager ſaxoſus eſt, ſed oleis crebris conſitus, adeò ut urbs inter olivarum alta nemora poſita videatur. Solum pingue & frugum omnium ferax: unde fortaſſe Lupiæ, ab eo quod eſt *liparòn*, id eſt pingue, dictæ ſunt. Hic & Citriorum varia genera læta, & fortia ſurgunt. Circa urbem nobiles ſunt horti: olerum, & fructuum ſapor præſtantiſſimus: vineta habet non niſi ad quartum, & quintum lapidem puto ſecundum græcum diſtichon; Quoniam Pallas, cui oliva curæ eſt, non benè cum Baccho convenit. Vina gignit ochra (ut Galeni verbis utar) aut xantha: nos pallida, aut flava, aut aurea poſſumus dicere: ea nobilia ſunt, & quæ cum Cretenſi vino certare poſſent. Non fontes,

non paludes habet Lupienſis ager, ſed altos puteos, & continuo uſque ad aquam lapide. Totus ager undique uſque ad tria, & alicubi quatuor millia paſſuum, olivis ut dixi, conſitus, & continuis ſeptus parietibus, quas maceries dicunt. Inter hæc viæ anguſtæ ferratis curruum rotis excavatæ, difficilem hoſtibus aditum faciunt. Urbs altis, & perpulchris muris, & turribus, ex dolato, & quadrato lapide, & levigato. Nam illi lapides & ſecari, & levigari patiuntur. Antemurali, & foſſis ſatis altis cingitur: antiquorum murorum nulla videntur ſuper terram veſtigia. Hæc munimenta quondam tutiſſima fuere, nunc reperto bombardarum uſu, nihil poteſt tanto turbini reſiſtere: præſertim quòd eo tempore, quo muri conſtructi ſunt, non erat bombardarum uſus, ſed ſcalis, & puſillis quibuſdam machinamentis urbes oppugnabantur. Tota urbs ſuper ruinas veteris urbis poſita eſt, & magna pars penſilis eſt. Forum, & quæ juxta ſunt domus, ſuper ingentes arcus, & fornices, & teſtudines fundatæ ſunt. Puteos ubiq; & ciſternas habet ampliſſimas, quibus cœleſtes imbres optimè ſervantur. Mira lapidis natura, ſine calce, ubi lapis non cavernoſus, ſed continuus eſt, aquas, & (quod majus eſt) oleum quoque continet: cum adeò mollis

mollis ſit, ut & ſerram, & levigam patiatur: ex quo lapide ingentia vaſa excavantur, quæ pilas appellant: quarum aliquæ quingentas olei anphoras capiunt. Laterum pilæ craſſitudo vix palmam, aut quinque digitos excedit. Hæc Urbs ante adventum Normanorum caput erigere iterum cæperat. Ignota ſunt omnia, nec literarum monimenta extant. Neſcioquis Accardus Lupiarum dominus multa, & præclara opera feciſſe perhibetur. Hinc Normanis rerum potitis, Orientali Romano inclinante imperio, Tancredus comes Lupiarum, Rogerii ducis Apuliæ filius nothus, nepos, ut puto, Roberthi Viſcardi, vir magni animi, pulſis Enrico Enobardi filio, Frederici junioris patre, & Conſtantia ejus uxore, regni gubernationem ſuſcepit, adſcitis ad ſe regni proceribus, quos Barones dicunt. nec niſi Tancredo vita functo, Enricus, & Conſtantia regni Apuliæ ditionem habuerunt. Federicus deinde junior Conſtantiæ filius, ob vetuſtatem Tancrediadum: cùm toti Apuliæ ſemper faviſſet, ejuſque provinciæ homines extuliſſet, Lupiarum tamen urbem infeſto animo proſequutus eſt, & Brunduſio favere nunquam deſiit: ubi arcem ingenti opere conſtruxit, & variis ornamētis urbem amplificavit. Hujus filio notho Manfredo, à

Carolo victo, atque occiſo, Gualterius Brehennæ, deinde Lupiarum comes à Carolo primo Apuliæ rege declaratus eſt. Quatuor enim tantùm comites in hoc regno ille conſtituit. Hic primò comes Lupiarum, deinde opibus, & viris à Lupienſibus adjutus, Cercyram inſulam, Achayam, & partem Peloponeſi, & Athenarum urbem ſuæ ditioni adjecit. Dux Athenarum factus, in Salentinis parum moratur, Florentiæ dominatus eſt: inde à Florentino populo ejectus ob ſuſpitionem nobilis mulieris pudicitiæ violatæ, ſe iterum Lupias recepit. Porta, qua impetum populi fugiens egreſſus eſt, à Florentinis clauſa eſt, & ducis Athenarum appellata. A Lupiis iterum atque iterum in Græciam revertens, in inſidias Græcorum, ſeu Turcarũ à Græcis conductorum, ut quidam dicunt, incautus incidit: ubi cum maxima parte Lupienſium cæſus eſt. Maria, quam uxorem fuiſſe Ladislai regis diximus, caput Gualterii magno precio redemit, atque in parvo ſepulchro in Cathedrali Lupienſium Eccleſia locavit. Hujus teſtamẽtum quod antequam è Lupiis diſcederet, conſtituerat, nos ipſi legimus. Maria de Eugenio, mortuo Pyrro ejus fratre adoleſcentulo, Gualterii ex filia, ut puto neptis, Lupiarum comitatum adepta,

Ray-

Raymundo Urſino Soleti comiti nupſit. Hic Lupiarum comes factus, Tarentino principatu empto, Brunduſio vi capto, toti ferè Japygiæ, & parti Dauniæ dominatus eſt. Hujus filius Joannes Antonius, Aragonenſes partes ſequutus eſt, contra Joannam reginam, & Loyſium deinde Renatum Andegavenſem, eo quòd Alphonſo fidem & jusjurandum præſtiterat. Hic Alphonſum armis, & pecunia, & omni qua potuit induſtria ſemper juvit, ut nemini dubium ſit, hujus, aut ſolius, aut præcipua opera, Alphonſum regno potitum fuiſſe. Dum Alphonſus Joannæ inſidias fugiens, in Siciliam ſecederet, Joanna ingentem exercitum duce Jacobo Caldora contra Joannem Antonium, & Mariam ejus matrem miſit, Salentinos campos omnes, igne ferroque vaſtavit. Quinque Urbes, quæ vim hoſtium ferre potuerunt, in fide Alphonſi permanſere: Tarentum, Gallipolis, Caſtrum, Rocca, Lupiæ. Hæc urbs incenſis villis, cæſis felicibus arboribus, difficilem paſſa eſt obſidionem: eo quòd hic, quaſi in altera regni aula, antiqua tantorum principum gaza ſervabatur. Hæc enim urbs per quadringentos annos Japygiæ & Apuliæ, & opibus, & viris præſtitit Hæc eadem, mortuo Joanne Antonio, qui contra Ferdinandum

Alphonſi filium, cui Iſabella ipſius Joannis Antonii ex ſorore neptis nupſerat, neſcio quibus cauſis per ſexennium bellum geſſerat: quamvis Joannes Andegavenſis Renati Regis filius, urbi perpetuam immunitatem, & caſtella quamplurima promitteret, & quaſcunq; vellet conditiones, ſe tamen Ferdinando ultrò dedit, & quæ in poteſtate Lupienſis erant populi, ſexcenta millia aureorum, vaſa aurea, atque argentea, & opulentem ſupellectilem Ferdinando porrexit, ſpretis Joannis pollicitationibus. Quibus opibus ſi is potitus fuiſſet, Ferdinandus vix duos menſes in regno peregiſſet: erant enim eo tempore pecunia penitus exhauſtus. Hæc eadem capto à Turcis Hydrunto, provincia tota perterrita, atque in fugam verſa, prima Turcarum furori obſtitit, quouſque auxilia à Ferdinando miſſa, provinciam firmarent: venientem poſtea ab Hetruria exercitum noſtrum penè fractum, ac inopem, & longo itinere fatigatum reparavit, atque ſuis bonis refecit. Demum poſt captam Gallipolim, Venetis totius ferè provinciæ, nemine prohibente, potitis, niſi hæc urbs fuiſſet, tota fortè Apulia in poteſtatem Venetorum deveniſſet.

Hinc ad duodecim millia paſſuum,

SOLE-

(67) SOLETUM : alii Salentum dicunt. Græcum eſt, & antiquum oppidum in aſpero, & petroſo, & aquarum indigo jugo poſitum, ſed olivetis paſſim veſtito. Amplam fuiſſe hanc urbem veſtigia murorũ aliquibus in locis oſtendunt: nunc in parvum reducta eſt oppidulum, quod quondam [ut ajunt] erat Epiſcopale, & nunc etiam caput comitatus. Hinc ad mille, & quingẽtos paſſus urbs, (68) quæ nomen SANCTI PETRI ſortita eſt, nova, ſed honeſtis civibus, & adhuc Græcis culta,

(67) *Soletum*) De hac Urbe agit Stephanus in lib. de *Urbibus*, Plinius lib. 3. cap. 11. *Deſertum* appellat, an id temporis, vel hominum injuria acciderit, latet, Hieronymus Marcianus in lib. 4. cap. 18. cit. Oper. Græcos illi authores tribuit poſt bellum Trojanum à Creta profectos, quorum Ducem *Salentum*, unde nomen loco factum extitiſſe produnt. Quod ſanè gravi authore caret, & teſtimonio Veterum. Eadem nota laborat Galatei, Marciani, Taſſelli, Pacichelli, & aliorum recentiorum Scriptorum aſſertio, qua Soletum Epiſcopalem quondam fuiſſe Urbem produnt. Tarentinis latè in Japygia dominantibus Principibus idem Oppidum *Comitatus* non ignobilis Princeps extitit.

(68) *quæ nomen Sancti Petri ſortita eſt*) De Fundatore nobilis in Japygia Oppidi varia Hiſtoricorum ſententia eſt. Chriſtophorus Cæcus Forolivienſis fundatum ſcribit à quodam Viridomaro Duce. Silvius Arcudius in Opuſculo non dum publicis typis excuſſo De *Sancti Petri Origine, & Situ*. Franciſcus Maria Vernaleonus in Ora-

cisculta, ſita eſt in plana valle amœniſſima, oleis, & omni felicium arborum genere conſita, non ut Soletum inaquoſa: ſed puteos habet ſatis abundè. Hæc ab utroque mari æquè, hoc eſt circiter XIII. millibus paſſuum diſtans in umbilico totius peninſulæ eſt, & quaſi commune emporium emendis, & vendendis rebus. Percommodum templum habet pulcherrimum divæ Catherinæ, à Raymundo principe Tarentino dicatum cum xenodochio, & caſtellis nonnullis conſtructum, ut ajunt, ad exemplum templi divæ Catherinæ, quod eſt in Sina monte: ubi vir ille religioſiſſimus, & inſignis pietate, votum fecit

---

tione item M.SS. ad *Sanctipetrinates Cives*. Hieronymus Marcianus lib. 4. cap. 18. Alexander Thomas Arcudius in *Galatina Literata* pag. 6. Pater Bonaventura Lamēſis in Panegirica Oratione, cui titulus: *I Tre Tabernacoli* ad laudem Apoſtolorum Principis, & idem Pater in ſecunda Parte *Minoriticarum Chronicarum* pag. 98: aliique cujuſdam Græci Voluminis auctoritate fulti, quod latinè vertit Matthæus Tafurus Soletanus ab Athenienſibus fabricatam mavult, quos cum Japyge in hanc Provinciam appuliſſe produnt: exindeque *Noctuam* Oppido Inſigne traditam. Apoſtolorum Principis Præſentia idem illuſtratum fuiſſe Cives commemorant. Virorum illuſtrium, qui ex Oppido Sancti Petri in Galatina prodierunt, laudatus Alexander Arcudius texuit; alios multos Aucthor non novit; nonnullos tamen perperam Patriæ affixit, quos potiori jure alii in Japygia ſibi vindicant.

fecit de ædificando templo, (69) in quo monumenta ſunt Urſinorum familiæ, quæ ibi multis annis dominata eſt. Hinc ad VIII millia paſſuum locus eſt, in quo non niſi antiquæ urbis murorum veſtigia cernuntur juſti ambitus: (70) unde loco MURUS nomen eſt. Videtur ut & urbs, ſic & nomen occidiſſe: tantum

(69) *in quo monumenta ſunt Urſinorum familiæ*) Monumenta ipſa Raymundum Regni Neapolitani Protonotarium, Raymundum juniorem primum Tarentinorum Principem Templique, atque Cænobii fundatorem, & Jo: Antonium itidem Tarentinorum Principem magni Regni Comeſtabilem ſpectant. Primi tamen in nudo Pariete legitur Cenotaphium ex Sepulchro in Divæ Claræ Neapolis deſcriptum, alterius, & ultimi moſtrant Sepulchra in ipſo Choro Baſilicæ. Et Corpus quidem Jo: Antonii Altamura ubi obiit in hoc Templum translatum eſt.

(70) *Unde loco Murus nomen eſt*) Ex Græcis monumentis latinè redditis à clariſſimo Viro Matthæo Tafuro Soletano, quæ in Bibliotheca Magni Etruriæ Ducis ætate ſua ſervata commemorat Taſſellus Libro 2. Cap. 15. pag. 221: à Cretenſibus, qui una cum Japyge in Salentinos ſunt profecti fundatam hanc Urbem liquet. De illa nonnulla prodit ex Perganteo Martianus lib. 4. cap. 17. quæ æqua Criticorum indigent trutina. Quæ nunc ſpectantur ædificiorum rudera Vetus Oppidum ſatis amplum ovali figura non obſcurè exhibent, duriſque compacta lapidibus fundamenta, quæ Boream verſus, & meridiem dilatantur: ab Oriente in Occidentem arctiora ſunt: quod diligenter animadverti paucis ab hinc menſibus dum Sanctorum Hydruntinorum


tum vicus ejuſdem nominis reſtat : urbs tota aut aratur, aut olivis, & ilicibus obumbratur. Hinc VII millib. paſſuũ abeſt (71) VASTÆ oppidum, totidem ab Hydrunto diſtans: alii Vaſtas dicunt, alii Vaſten, alii Vaſtan: & hæc nunc viculus eſt vix quindecim focis habitatum. Urbs mediocris, ac juſti fuerat ambitus: ejus pars in humili clivo, pars in plano poſita erat. Extra Urbem innumera reperiuntur ſepulchra, fictilibus vaſculis elegantiſſimarum formarum, & oſſibus, & cineribus hominum plena, & in quibuſdam arma ænea vetuſtate conſumpta, & annuli aurei rudes, nec ſatis perpoliti. Repertus eſt

his annis

tinorum Martyrum Reliquias religionis ergò inviſurus Hydruntem peterem una cum Franciſco Pompomeo, non obſcuro in Neritina Civitate, & in Sallentinis Juriſconſulto, arcta mihi familiaritate conjuncto: Major ambitus pars modo ſeritur: aratris veró tellus conſciſſa ſæpenumero antiquos nummos, aliaque diverſi generis non contemnenda Veterum monimenta in lucem profert. Numiſmata quædam non ita pridem ibidem effoſſa nobis oſtendit Amicus Ignatius Papadia Juriſconſultus non contemnendus Murenſis. aliaq; Dominicus Paganus Medicus experientiſſimus, quorum pars altera *Noctuam*, altera Caput hominis, circum Græcæ viſebantur literæ.

(71) *Vaſtæ Oppidum*) Vaſtæ meminit Plinius lib. 3. Cap. 11. Noſtrates Scriptores ejus originem in Meſſapios

his annis præteritis lapis inſculptus his literis, quas à me in hoc loco præteriri nõ patiar: ſolæ enim hæ reliquiæ ſunt tã longæ vetuſtatis.



Has lite-

ſapios referunt , viguiſſe ad XI Chriſti ſæculum , & à Guillelmo Rege , quem Malum appellant , ſolo æquatam eſſe, immania rudera , hodieque magnæ Urbis veſtigia oſtentant. In hac Urbe tertio Chriſtianæ Religionis ſæculo floruere Vitalius , ejuſque filii Alphius , Philadelphus , & Cyrinus , itemque Eraſmus Vitalis ex filia nepos : qui quòd Chriſtianam fidem profiterentur Decio Imperante accuſati , & compræhenſi , Vitalius , & Eraſmus Romam primum , mox Puteolos vincti ſunt

perducti,

Has literas incolæ Saracenicas falsò, ſed qui Paganas, aut Ethnicas putant, rectè meo judicio ſentiunt. Sunt enim (ut conjicio) literæ Meſapiæ, quibus ante Idomenei adventum Japyges, ut dixi utebantur. Lingua Meſapia, ſeu Peuceſia, in qua Brunduſium cervi caput ſignificat, tota interiit, ut Aegyptia, & Punica, Oſca, Volſca, & Hetruſca, & aliæ pleræquæ in tam longa vetuſtate abolitæ ſunt. Ex ea lingua nihil eſt reliquum, niſi hæ paucæ literæ: quas ideò exarare volui, ut extimet quicumque has viderit, quanti ſit humana ad quam anhelamus gloria: & quod non ſolum lapides, & monumenta fatiſcũt, ſydera quoque, & quæ literis mandantur eſſe peritura. Si Cartaginenſes viciſſent, Latina lingua, ut nunc Punica, nulla eſſet, ſi Latina non eſſet, Græca quoque pariiſſet: nam ſi quæ ſunt

perducti. Ubi quum conſtantes in propoſito permanſiſſent glorioſam mortem oppetivere: eorumque memoria quotannis ibidem recolitur Kalendis Octobris. Alphius, Philadelphus, & Cyrinus in Siciliam convecti, pari conſtantia pro Chriſto ſunt interempti, poſtquam plures ad ejus cultum adduxiſſent miraculis, atque prodigiis clari. De iis agunt vetus Baſilii Imperatoris *Menologium*: Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ *Synaxarium*, & alia Vetera Monumenta à Joanne Bollando, & Hieronymo Baſilica Petri in Tomo V. *Ephemer. Sacr.* relata: idem Hieronymus parvo Volumine ipſorum quoque Vitam deſcripſit, ediditque Neapoli anno elapſi ſæculi nonageſimo ſeptimo: ubi alios, qui de iiſdem Sanctis Martyribus agunt, Scriptores laudat.

ſunt literæ, à Latinis ſuſtentantur. Harum literarum exemplum, Pontano, Hermolao, Accio tuo, imò & meo, Chariteo, & Summontio miſi, & nonnullis aliis: omnes mecum ſenſere has eſſe Meſapias literas. A Vaſtis nulla occurrunt antiquitatis veſtigia uſque ad MONTEM ARDUUM oppidum, ab Acra Japygia VII millibus paſſuum remotū, ubi & urbs antiqua fuit, ejus pars in colle, pars in plano ſita, mediocris magnitudinis hujus & nomen abolitum eſt. In eminentiore hujus vrbis parte in edito colle pulchrum eſt oppidulum. Memini me à veteribus audiſſe Græcis hanc urbem *trachion òros*, quod Latinè aſperum, ſeu arduum montem exprimit: erat enim urbs in lapidoſo, & aſpero monte ſita. Hìc pars eſt Apennini, qui ad Acram Japygiam terminatur. Quin etiam à peritis navigantibus me audiſſe memini uſque ad XL. aut L. millia paſſuum in mare protendi jugā Apennini, cùm hinc atque illinc altius metiantur mare. Poſteà verſus Occidentem ad quatuor millia paſſuum (72) VERETI, ſeu Ureti, ſeu ut incolæ dicunt, Veriti, reliquiæ ſpectan-

(72) *Vereti, ſeu Ureti*) Hujus Urbis meminit Plinius lib. 3. cap. 11. Ptolomeus in Geograph. & alii plura: Taſſellus lib. 1. cap. 4. nonnulli cum Bario illam cōfundunt: cui par nomen tribuunt, Hyacintus Gimma in ſua hiſt. *Literat.*

ſpectantur. Hæc urbs tota corruit, in ea ne ulla quidem eſt, aut tugurium, aliquæ templorum ruinæ reſtant, nec hæ ſatis antiquæ. Hinc non longè abeſt (73) UXENTUM, aut ſecundum aliquos Oxentos, aut Hyencos: nunc Ogentum dicitur, urbs epiſcopalis eſt, & pars quondam magnæ urbis, nunc urbecula eſt, & ipſa in colle edito ſita. Suburbium in plano jacet: ut & antiqua, ſed illa multò amplioris ambitus fuerat. In hujus urbis ſuburbano juxta Felinem vicum locus eſt, quem NYMPHÆUM adhuc incolæ nominant: fontibus ubique manantibus celebris, tanto in his terris gratior quanto rarior. Locus non excedit duo ſtadia, nunc neglectus, & calamis obſitus, paucæ reſtant citriorum arbores. Credo

Literat. Ital. Tom. 2. cap. 50. artic. 6. Veretum Sallentinum vaſtarunt Mauri anno æte vulgaris 928, ætate verò noſtra vix rudera ſuperſunt, quæ tamen magnam Urbem non obſcurè deſignant.

(73) *Uxentum, aut ſecundum aliquos Oxentos*) Jentos, ſeu Vintos meminit Ptolomęus, Ovxentum, Axentum, & Ogentum à Veteribus hæc Urbs appellata deprehenditur. In ſequioris ævi monumentis Auxentum etiam dicitur: undè factum, ut quidam Urbi nomen à Camporū ubertate inditum cenſuerint. Uxentini Epiſcopatus antiquus eſt, ut liquet ex Sancto Gregorio Lib. 2. Epiſt. 29. Indit. 10. Anno 1537 Turcarum Piratæ Urbem incenderunt, magnamq; Civium partem duxere captivos.

Credo quòd Græcis omnia tenentibus, eleganti opera cultus fuerit, quod & nomen indicat. Nonnulla etiam ſunt in ulteriori Gręcia loca, quæ hoc nomine honeſtantur. Hinc ad XIII millia paſſuum, GALATANA, unde mihi origo eſt: alii Galatenam, alii Galatinam, alii Galatam proferunt, ut & urbes & populos, ſic & cunctarum rerum memoriam deſtruit tempus. Quis poterit res tam obſcuras rectè conjectare? Certum eſt omnes hujus peninſulæ urbes ab Oriente duxiſſe originem, & nonnullæ eadem ſervant nomina. Urbs, quam nomen Sancti Petri accepiſſe diximus, à Galatina vico in quo poſtea conſtructa eſt, nominatur: abeſt à Galatena, ſeu Galatana quinque millibus paſſuum. Qui fuerint Galatini populi, aut Galatæ ex Galatia Aſiæ: an(ut Plinius ait) Senones, quis novit? A Galatana Gallipolim IX millia paſſuum ſunt. Memini me à veteribus ſacerdotibus Græcis (hi enim ſolebant omnia literis mandare) audiſſe Galatenenſes à Theſſalis originem habuiſſe, atque huc propter bella, & domeſticas ſeditiones commigraſſe, nec quo modo: aut quando hoc accidiſſet, ſciebant. Cùm eſſem juvenis, legens apud Liviũ inveni Theumam, & Galatanam Theſſaliæ urbes, à T. Q. Flamminio captas. Nunc iterum

rum

rum in Teſſalorum ditionem fatis volentibus rediit. Joannes enim Caſtriota, dux Ferrandinæ, quem ſupra nominavimus, qui & huic urbi, & aliis circa oppidis dominatur, Macedo eſt. Sed non procul à Galatana, & Phylace, Teſsaliæ urbibus oriundus. Hæc urbs antiquis temporibus, & clivium, & planiciem amplectebatur. Arx *phylarchì*, ideſt cuſtodia, & ab urbe Theſſaliæ ejuſdem nominis, ut à veteribus audivi, appellata eſt. Latini mutata, ut ſolebant, Y in V. Phulatianum, ſeu Phulcilianum dixerunt: hæc in clivio ſita erat, in plano Calatana. Ex una urbe duo facta ſunt oppida, vix quingentis paſſibus inter ſe diſtantia. Calatana plùſquam duplo majoris erat ambitus. Phulatianum linguam Græcam ſemper ſervavit: Calatana ad Latinos migravit. Ortis inter duo oppida ejuſdem populi diſſentionibus, ut inter vicinos ſæpe accidere ſolet, ad arma ventum eſt. Calatana Phulatianum ſuperavit, ac ſolo æquavit. Cives omnes ferè Calatanam tranſmigrarunt: pauci propter injuriam ad vicina oppida confugere, & mores, & veſtes, & Græcam linguam depoſuerunt, ſed non genus. Nec pudet nos generis noſtri. Græci ſumus, & hoc nobis gloriæ accedit. Divinus ille Plato in omnibus gratias diis agebat,

bat, ſed prçcipuè in his tribus: quod homo, non belva: mas, non fœmina: Græcus, non Barbarus natus eſſet. Galateus tuus Spinelle, non à Morinis, aut Lingonibus: non ab Allobrogibus, aut Sycambris: ſed à Græcis ducit genus. Pater meus Græcas, & Latinas literas novit: avus, & progenitores mei Græci ſacerdotes fuere, literarum Græcarum, ſacræ ſcripturæ, & Theologiæ minimè ignari: non armis, hoc eſt, vi & cedibus, & rapinis, ſed bonis moribus & ſanctitate vitæ celebres. Pudet me Spinelle (tecum ſine arbitris loquor) in Italiam natum fuiſſe: quamvis Japygiam terram extra Italiam ſcriptores quidam poſuere. Græcia ſua vetuſtate, ſuaque fortuna Italia ſuis conſiliis, ſuiſque diſcordiis periit: utraque alienigenis ſervit. Hæc ſpontè, illa invita. Græcia Italiam ſæpè à barbarorum ſervitute liberavit, (74) Italia Græciam barbaris ſervire permiſit. Sed nos ſcelerum noſtrorum pœnas luimus, luemuſque nam noſtra mala, ut videmus, nondum ad ſummũ

perve-

(74) *Italia Græciam Barbaris ſervire permiſit*) Injuſta Antonii quærela eſt, neque in re univerſis hiſtoricis nota à nobis modo eſt elaborandum: ut Græci hominis affectum intemperans elevemus, refellamuſq; In Italia natus fuerat Galateus. Italis tamen non raro eſt injurius, ut Græcis, quorum ritum in Sacris ſectabatur, impensè ſtudeat.

pervenere. Non ſit verbo omen: dico non quod volo, ſed quod ſentio. Apenninus qui Japygiam dividit à montibus, quos peninſulam claudere diximus, ortum habet, ut qui totam dividit Italiam ab Alpibus. Itaque peninſula hæc totius Italiæ ſpecimen refert, ut quæ Filicis foliorum ſectiones toti folio ſimiles ſunt. Hæc clarè cognoſces ſi conſtituas Tarentum ubi Genua, Brunduſium, ubi Venetiæ ſunt. Quæ intra Scylleticum, & Ipponiatem ſinum eſt peninſulam Japygio promõtorio: quæ verò intra Brunduſium, & Tarentum, peninſulam, de qua nunc tractamus, ultimo Hydruntini agri promontorio, quod maximè in Orientem vergit, conferas. Sinus, qui inter Leucam, & Hydruntum eſt, pro Tarento tibi ſit ſinu: Tarentinus ſinus pro infero, Ionium pro ſupero mari. Apenninus citra montes uſque Oriam deprimitur, ad Oriam parum inſurgit continuis in ordinem poſitis colliculis. Rurſus in planum inclinat in agro Galatanenſi, ubi erat quondam nobile cœnobium monachorum magni Baſilii, divo Nicolao dicatum, cui avunculus meus pluſquam triginta annis præfuit. Incipit iterum molliter inſurgere in Galatana, ad radicem collis ejus arx, quã Phylacen diximus, in colle ſita. Hic cœlum ſalubre, ac tepidum, auræ

ſalu-

ſalutares, & ſuaves, ager apricus ſemper vernans floribus, & benè olentibus herbis, thymo, thymbra, pulegio, ſerpillo, hyſopo, melilotho, camomilla, calamentho, ubique abundans: unde, & caſeum nobilem, & mel gignit, non deterius Hymectio crocum laudatiſſimum. Itaque ut apud Marſos, & Pelignos Sulmonenſis, ſic, & apud Salentinos Galatanenſis crocus, cæteris præſtat. Temporibus patrum noſtrorum in Salentinis, hìc, non alibi crocus habebatur. Unde huc venerit incompertum eſt: attamen videtur hoc ſolum ſponte ſua crocum gignere. Omnis ager, ubi ſues non ſunt, ſylveſtri croco abundat: qui flore bulbo capillamentis hortenſi, ſive ſativo ſimilis eſt: tempore etiam conveniunt, uterq; enim floret poſt ortum Arcturi. An qui ſativus eſt, olim ſylveſtris fuit, & ut animalia, ſic quoque plantæ miteſcere hominum manibus didicerunt? Theophraſtus quærit, utrum quæ nunc domeſtica ſunt, ſylveſtria fuerint omnia, non eſt præſentis negotii, hæc pertractare. Hæc materia, ut eſt cognitu digna, ſic & difficilis. Hoc ignorare minimè oportet, multa eſſe quæ mutantur cultu, aut exuunt ſylveſtris animum, aut miteſcunt, ſicut & negligentia multa fiunt, aut ſylveſtria, aut deteriora. Puto quod ſi

quis bulbos ſylveſtris roci ex hac in illam terram tranſtulerit, ac diligenti cultu tractaverit, talis fieret tempore ſylveſtris crocus, qualis nunc eſt ſativus. Pleraque ſunt pervicacis naturæ, quibus parum prodeſt diligentia, aut obeſt negligentia: ut ſunt ex arboribus nux, juglans, pinus, palma, cupreſſus, platanus, lotos, & omnes glandiferæ arbores: & ex fruticibus myrtus, arbutus, abſinthium, ros marinus, lentiſcus: & ex herbis ſampſycus, olus atrum, calamentum. Multa ſunt etiam, quæ à cultu abhorrent: negligentia, & [ut Plinius ait] injuria, & maledictis, & contumeliis coaleſcunt, nequiſſimorum hominum naturam imitantia, quibus beneficia pro maleficiis, maleficia pro beneficiis ſunt. Hæc urbs ſeptem res habere præcipuas ſe jactat crocei coloris, crocum ipſum, mel, caſeum, vinum, oleum, caricas, & uvas paſſas. Totus tractus aquarum indigens eſt, puteos habet raros, ſed altiſſimos, in oppido XXXIII, in antiqua, ac diruta arce, XXXVII, paſſibus. Innumeræ ciſternæ in toto tractu viſuntur, unde populoſam fuiſſe urbem argumento non dubio eſſe poteſt. Super jugum Apennini planities eſt ampla, quam incolæ appellant campos Latinos: Credo quòd Salentini eſſent, rectius dicendi. Undè cùm pluvioſus fuerit annus,

erumpit

erumpit maxima aquarum vis: quæ parvo temporis ſpatio, omnes ciſternas, quæ in toto agro ſunt, & quæ intra oppidum replet: quãdoque tanta eſt imbrium copia, ut oppidum aquarum illuvie laboret. Tempore avi mei tanta per oppidum crevit aquarum multitudo, ut in aliquibus locis duum paſſuũ menſuram excederet. Nonnulli periere, vinum, oleum, triticum, hordeum, & quamplurima ſupellectilia abſumpta ſunt: libros Græcos, quorum avus meus magnam habebat copiam in Eccleſia, quæ noſtri juris eſt, ubi ipſe verſabatur, aqua delevit, atque conſumpſit. Hæc urbs Jacobo Caldora, cujus menſionem fecimus, Japygiam vaſtante, partes Joannæ Reginæ ſecuta eſt. Poſt Caldoræ diſceſſum, Joannes Antonius, cum omni, qua potuit vi, Galatanam obſedit, felices arbores omnes ferro, atque igne vaſtavit, murorum non parvam partem machinis ſolo æquavit. Oppidani continua pugna acerrimè reſtiterunt: in qua pugna pater meus interfuit. Tandem Joannes Antonius re infecta, & longa obſidione ſoluta, aliò arma vertit. Poſt hæc Regina, & Caldora vita functis, tota Japygia in poteſtatem Joannis Antonii pervenit. Pater meus tanquam hoſtis ab Joãne Antonio inauditus Gallipoli exulare juſ-

 ſus eſt.

ſus eſt. Compoſitis tandem rebus, Joanni Antonio cauſam audire cupienti, in hanc ſententiam ſcripſit pater meus: Nulla ò bone Princeps à te accepta injuria auſibus tuis quoad potui obſtiti. Credebam enim fidem ſervare ſi Reginæ juſſis parerem, cujus partes Neapolis, & maxima pars regni ſequebatur. Tu non ſecus ac ego regibus ſervimus. An illa ritè Alphonſum adoptaverit, an poſtea jure abdicaverit, ipſa viderit. Non intereſt noſtra regum cauſas decernere: alii matris, alii filii partes ſecuti ſunt. Neceſſe eſt nunc nos fateri eam cauſam juſtiorem fuiſſe, quam dii ipſi tutati ſunt. Viciſtis, ne vexetis eorum, qui victi ſunt fortunam. Dii enim ſuperbos victores, & intemperantes ſemper oderunt: Victoria non in armis, neque in fortitudine, aut multitudine militum, ſed in deorum poteſtate eſt. Nullam ego à te veniam precor, nihil enim peccavi: Hoc ſolùm precor, atque obteſtor, ne exiſtimes, quod à me jure factum puto, id aut tui odio, à quo nulla unquam laceſſitus ſum injuria, aut alicujus amore, aut pecuniæ, aut ambitionis cauſa me feciſſe. Hęc verba adeò grata bono Principi fuere, ut totum ſi quod erat odium in amorem verteret, tantumque patri meo quoad vixit fidei præſtitit, quantum cuivis eorum, quos chariſſimos

habe-

habebat, ejuſque heroicam mortem, quam pro veritate, & fide ſervanda paſſus eſt, moleſtiſſimè tulit, atque aſperè ultus eſt. Hæc urbs poſtquam in Aragonenſium fidem pervenit, eam integerrimè ſervavit. Eo ſexennio quo Joannes Antonius contra Ferdinandum bellum geſſit, ſemper Aragonias partes ſecuta, nunquam à fide deſcivit. Quæ quoniam Joannes Antonius aliis negotiis occupatus in Japygia, hoc eſt, contra viſcera ſua novum excitare bellum verebatur, & cladem evaſit: interdictus tamen illi fuit vicinarum urbium aditus, & tanquam infidelibus ferrum, materies, triticum: ſic per ſeptennium tanquam inter hoſtes vixit. Turcarum bello provincia tota in fuga verſa, prima Turcarum furores ab ea parte in qua ſita eſt, & incurſiones tulit, ejus qui profugere, ac urbem deſerere, temptavit, domus igne abſumpta eſt, bonis cæteris publicatis: eos qui ab aliis locis aufugerant, admiſit, atque humaniſſimè tractavit. Hæc complures ſacerdetes Græcos doctiſſimos habuit, ſed præcipuè unum, quem magiſtrum appellaverunt: unde Magiſtrorum familia, cujus nepotem Virgilium, ego puer novi, & proavi mei, quorum unus viginti annis Byzantii verſatus eſt: ubi & didicit, & docuit Philoſophiam, & Theologiam. Græci

Georgium Latinum nominarunt, eò quod in Italia natus eſſet, (75) cùm Latini quidam ex his circumforaneis mendicantibus Græcos perſequerentur, ac cogerent eos ex azimo, nō ex fermentato pane, conficere ſacramentum. Hi ſacerdotes poſt longas diſputationes Romæ in pleno collegio Principum ſacerdotum vicere, ac ne à patrio ritu diſcederent impetravere: quem morem huc uſque ſervant: & Romanæ Eccleſiæ juſſis, noſtrates omnes catholici Græci parent.

A Gala-

(75) *Cum Latini quidam ex his circumforaneis mendicantibus Græcos perſequerentur, ac cogerent eos ex azimo, & non ex fermentato pane conficere Sacramentum*) Latini varia de cauſa plerumque Græcis infenſi illos per ludibrium, atque contemptum circumforaneos mēdicantes, ſivè circumforanea mendicabula, quod in idem recidit, appellare conſueverunt. Vide Jo: Baptiſtam Pium *Annotationum Priorum* lib. 1 cap. 38. Eo verò dicendi genere Græci adverſus Latinos offenſi, cum par de ipſis loquendi orta eſſet occaſio vituperationis ergo item in illos deterius retorſerunt.

Hic autem Galateus Religioſos potiſſimum viros ſacro Latinorum Ritui addictos, qui paupertatem profeſſi è mendicato pane victitare conſueverunt potiſſimum intelligit, atque perſtringit, eos enim precipuè Græci in hac controverſia experti ſunt adverſarios. Hanc ipſam Latinorum cum Græcis de Azimo, & Fermentato concertationem recenſuit Jo: Morinus Bleſenſis in Commentario de *Sacris Eccleſiæ Ordinationibus* Part. 1. cap. 4. §. 9 Aucthoris noſtri verbis in medio adductis, qui corrigendus eſt, dum hunc diſſidium ad Clementis VII. tempora abjecerit, quando Antonius noſter iam tum ab vivis exceſſerat.

(76) A Galatana NERITUM, tria millia paſſuum ſunt: hoc alii Néretum, alii Nerétum

(76) *A Galatana Neritum*) Neritum Urbem à Neritinis Populis, qui ex Ithaca Ulyſſis Patria, vel Leucadia in Japygia appulere paſſim Scriptores ædificatam fuiſſe commemorant: quos inter ſunt Perganteus in M. SS. libro de *Rebus Salentinorum*. Tomeus à Taſſello paullò infra citando relatus in lib. 3. cap. 40 Paullus Jovius in Vita *Magni Conſalvi*, Jo: Juvenis *De antiquit. & varia Tarentinorum fortuna* Lib. VII. Cap. 3. Hieronymus Marcianus in *Deſcriptione Hydruntinæ Provinciæ* lib. 4. Cap. 25. Aloyſius Taſſellus in lib. 2. Cap. 15 de *Antiquitatibus Leucæ* Jo: Bernardinus Tafurus in Notis ad ſuã Panegiricam Orationem de *antiquis ſtudiis, Accademiis, & Viris illuſtribus Neritinis*. Húc etiam reſpexit Antonius noſter, quum ſcripſit *Certum eſt omnes huius Peninſulæ Urbes ab Oriente duxiſſe originem, & nonnulla eadem ſervant nomina*. Corrigendi tamen ſunt Hieronymus Marcianus, & Aloyſius Taſſellus, qui in locis paullò ante notatis Ithacam Inſulam, ac Leucadiam Acarniæ hærentem unam, eamdemque eſſe arbitrati, Porrò ex iis Regionibus, quæ à veteribus *Neritos* dicebatur, Urbem à ſuis Accolis in Sallentinis conſtitutam pari vocabulo Neritum appellatam eſſe produnt Hiſtorici. De his Homerus in Illiad. 2.

Ipſe Cephalenas ſecum ducebat Ulyſſes
Quique tenent Ithacum Sylvis, & Neriton alta.

Et Virgilius in 2. *Æneid.*

Jam medio apparet fluctu numeroſa Zacynthos
Dulichiumque, ſameque, & Neritos ardua ſaxis.

Non me latet antiquum Aucthorem Perganteum, Ambroſium Merodium in ſua M. SS. *hiſtor. Tarent.* alioſquè minimè

tum penultima producta, alii *Neretòs Neretùs*: recentiores [ſed non rectè] Neritonum dicunt, ut Nerito Neritonis. (77) Ego in tabella ex antiquo marmore Lupiis invento me legiſſe memini Lupienſes, Hudrentinos, & Neritinos. Hæc urbs in apricis campis aquarum minimè indigẽtibus jacet. Cælum habet ſaluber-

minimè eorum ſententiam improbaſſe, qui opinati ſunt Neritum Urbem ab Egyptiis, & Aſſiriis anno ab Orbe condito MMMDLIX conditam eſſe ab iiſque, & Tauri ſtemma, ſub cuius forma Sol apud ipſis colebatur derivaſſe. Verum quibus potiſſimum momentis res tanta nitatur, & etiam potius inſulſum commentum, quam hiſtoria haberi debet; ut clarius oſtendimus in noſtro peculiari Libro, quem prælo paramus, inſcripto *Breve notitia dell'Origine, Sito ed Antichità della Città di Nardò.*

(77) *Ego in tabella ex antiquo marmore Lupiis invento me legiſſe memini*) Huius veteris Inſcriptionis à noſtro Antonio laudatæ, ſequẽs eſt exemplar, diligenter à meo Bartolomeo Tafuro in ſuis eruditis M. SS. Miſcellaneis ex vetuſtiſſima marmorea Tabella Lupienſi deſcriptum.

Q. FABIO BALBO V. P.
IV. VIRO I. DIC.
PATR. MUNICIP. PUSCUL.
TRIB. MILITUM LEG. II. AGRIP.
CURATORI VIÆ AUG. SALENT.
OB INSIG. IN UNIVERSOS
CONLATA BENEFICIA
AD MEM. SEMPIT.
LUPIENSES. HUDRENTINI. ET NERETINI
PATRONO OPTIMO
D. D. F.

ſaluberrimum, & ſolum circa urbem nō madidum, ſed lætum, & pingue, & olerum, & frugum ſupra fidem feraciſſimum: cunctarum rerum, quæ terra gignit, ſatis proveniens. Urbs inter omnes, quas unquam vidi meo judicio, in ameniſſima planitie ſita, diſtat ab ora ſinus Tarentini tribus, aut quatuor millibus paſſuum: à Lupiis quindecim: à Tarento XLV, oram habet XXIIII millia paſſuum longitudinis à confinio Tarentinæ oræ uſque ad rupem altam mari impendentem, quàm à rectitudine ortholithon dicunt. Hic lapis Neritinorum, & Gallipolitanorū agrum diſterminat. Ea ora tota piſcaturæ aptiſſima, & (78) alicubi juxta littus fontibus manans. Omnia quæ in agro Neritino naſcūtur optima ſunt; hic enim magnæ partis Calabriæ imbres cęleſtes, ſimul & terrarum pinguedinem recepit. In pluvia copioſa licet videre omnes agros, quos paludes dicunt, aquis opertos ſimilesquid patientes inundationibus Nili: ſed hujus inundationis partem terra cō-bibit,

(78) *alicubi juxta litus fontibus manans*) Id paſſim in Neritino litore videre licet, ſcaturienteſque fontes dulces ſunt: Hos Antonius Sanfelicius Neritinorum Epiſcopus magno Vir animo corrivari cogitat, & in Urbem dulcibus laborantem aquis ducere. Faxit Deus, ut grandia cogitata impleat.

bibit, ac conquoquit, partem, quæ voragines ab incolis dicuntur, admittunt. Sagacitatem providæ naturæ ubique ſpectare promptum eſt. Terra Japygia ferè ubique plana, & colles parvos habet. Non ſunt flumina, non valles, non lacus, nec ubique torrentes, qui ingentes pluvias receptare poſſint. Inſtituit natura certis in locis voragines, hæ cavæ ſunt foſſæ, nulli videntur hiatus, ideò nulli animalium perniticiosè ſunt. Hæ aquas aliquandiu continent, donec à cæcis quibuſdam ſpiramentis ex intimis terræ receſſibus ſpiritus eructet, atque erumpat. Hic magno impetu, atque ingenti fragore aperit aquis aditus: illas per ſubterraneos meatus in mare profluere credibile eſt, ut & multa flumina, quæ terra abſorbet, deinde iterum emittit, aut occultè in mare projicit, ut dicunt de Nilo, & de Alpheus, Elidis, & Arethuſa. Exploſa eſt ab Ariſtotele veterum philoſophorum ſententia, qui Tartarum intra terram ponebant: locus enim aquarum, ad quem omnes decurrunt, mare eſt. Hæ voragines crebræ, ubi plani, & latiſſimi ſunt campi: ut ſunt Mandurini. Si hæ non eſſent, magnam regionis partem, aut paludes obtinerent, aut incultam eſſe regionem foret neceſſe: nam per ſementis tempora noti flare ſolent, & pluvias ingen-

ingentes ciere. Univerſus ager Salentinus tempeſtivè ſeri gaudet, aut ante occaſum Vergiliarum: ſi (ut Virgilio placet) brumæ intractabile tempus expectaveris, te ſegis vanis eludet avenis: ſed ut in medicina, ſic & in agricultura contemplari, ante omnia oportet, & tempus, & regiones, & ingenia locorum. Neritini agri paludes noxiæ non ſunt: nullas enim, aut paucas, & innoxias tollunt auras, Aeſtate omnia ſicca ſunt, nihil limoſi, & gravis, aut paluſtris humoris relinquitur; ſed tantum, quantũ campos reddat pinguiores. (79) In his paludibus, ut & in campis Mandurii, & Galeſi, & Cupertini phaſmata quædam videntur, quas mutationes, aut mutata dicunt vulgus, neſcio, quas ſtriges, aut lamias, aut, ut Neapoli, Janarias, & [ut Greci dicunt] Nereide, fabulantur. Mirum eſt, totum orbem invaſit, & in miſeras erravit fabula gentes, nullo certo auctore, nulla ratione,

(79) *In his paludibus phaſmata quædam videntur, quas mutationes, aut mutata dicunt*) De mutationibus quæ paſſim in Neritinæ Urbis agris, & alibi in Japygia ſæpè ſpectantur, conſule Scipionem Mazzellam in *Deſcriptione Neapolitani Regni*, Hieronymum Marcianum in M.SS. *Deſcriptione Sallentina Regionis* lib. 1. Cap. ultimo, Pompejum Sarnelli Vigilienſem Epiſcopum in Tomo 8. *Eccleſiaſticarum Epiſtolarum* Epiſt. 9.

tione, nullo experimento unuſquiſque credit, quæ neque vidit, neque vera ſunt, ſtamus alienis, & indoctiſſimorum hominum teſtimoniis puerilibus larvis, anilibus credimus commentis, & plus fidei auribus, quam oculis adhibemus: nemo oculatus teſtis eſt, omnes ab aliis ſe audiſſe fatentur. Quantis tenebris involvitur humanum genus ad mendacia natū, cui ſemper inviſa eſt veritas. Quanta caligo detinet humanos animos, alioqui rationales, & divinos, ut non ab re quis credere poſſit, omnia humana ſimillima eſſe his, quæ dicemus phantaſmatis. (80) Sunt qui credunt mulieres quaſdam maleficas ſeu potius veneficas medicamentis delibutas, noctu in varias animalium formas verti, & vagari, ſeu potius volare per longinquas regiones, ac nuntiare, quæ ibi aguntur, choreas per paludes ducere, & dæmonibus congredi, ingredi, & egredi per clauſa oſtia, & foramina, pueros necare, & neſcio, quæ alia deliramenta, & quod maximè miſeris ſunt in hac re graviſſimæ Pontificum cenſuræ. Similis eſt Brocolarum fabula, quæ totum Orientem cæpit: Ajunt

(80) *Sunt qui credunt mulieres quaſdam maleficas*) De hujuſmodi præſtigiis vide ſis Joannem Wierium in Libro de *Lamiis*, ubi doctè, ac eruditè argumentum pertractat.

Ajunt eorum, qui ſceleſtè vitam egeru nt animas, tanquam flammarum globos noctuè ſepulchris evolare ſolitas, notis, & amicis apparere, animalibus veſci, pueros ſugere, ac necare, deinde in ſepulchra reverti. Superſtitioſa gens ſepulchra effodit, ac ſciſſo cadavere, detractum cor exurit, atque in quatuor ventos, hoc eſt in quatuor mundi plagas cinerem projicit: ſic ceſſare peſtem credit: & ſi fabula ea ſit, exemplum tamen præbet nobis, quàm inviſi ſint, & execrabiles omnibus ij, qui malè vixerunt, & viventes, & mortui. Similis eſt, & Hermotini Clazomenii apud Plinium fabula, & apud Senecam de ſepulchro incantato. Nec defuerunt antiquis temporibus hæ vanitates: & illuſiones ſenſuum humanorum, cùm ſemel mens decepta fuerit, & mendaciis perſuaſa, ſenſus quoque falli neceſſe eſt: quibus deceptis, mens quoq; delirat. Magna eſt inter ſenſus, mentemque affinitas: quandoque ipſa ſola mens, ſeu [ut dicunt] ſolæ virtutes interiores operibus exteriorum ſenſuum funguntur. Exemplum eſt ſomniantium, qui opera exercent vigilantium. Et Galeno teſte, delirus quidam tibicinas videbat in angulo domus: & baculus in aqua videtur fractus, & cancellatis digitis, & elevato altero oculo una res, duæ apparet, &

duæ

duæ lineæ parallelæ videntur ſenſui concurrere, cum nunquam concurrant. Ipſe etiam Lactantius, qui plus eloquutioni, quàm eruditioni ſtuduit, negavit terram ubique poſſe habitari. Hunc vulgaris, & Lactantium error apparentia decepit: ſicut negare ſenſum propter rationem, rationis eſt indigere: ſic & ratione non perſuaderi propter aliquam apparentiam ſtultum eſt. Tunc enim res benè cedit, cùm (81) [ut Ariſtoteles ait in libro de Cœlo) *ölogos tis phenömenis martiri che tà phenömena* [illegible] *lögo*: hoc eſt: Quando ratio apparentibus atteſtatur, & apparentia rationi: cùm hæc duo ſibi invicem non conſentiunt omnia falſa, omnia erronea ſunt. Sed nos ad eadem Phantaſmata revertamur. Videbis quandoque urbes, & caſtella, & turres, quandoque pecudes, & boves verſicolores, & aliarum rerum ſpecies, ſeu idola, ubi nulla eſt urbs, nullum pecus, ne dumi quidem. Mihi voluptati interdum fuit videre hæc ludicra, hos luſus naturæ. Hæc non diu permanent, ſed ut vapores, in quibus apparent, de uno in alium locum, & de una forma in aliam permutatur, unde fortaſſe mutata nominantur: aut quoniam his apparentibus, cœlum de ſerenitate.

(81) *ut Ariſtoteles ait in libro de Cælo*) *Vide lib.* 1. *Cap.* 3.

renitate in pluviam mutari ſolet. Hoc accidit mane, cœlo ſilente, incipiente, ac leviter ſpirante [ut ſolet] Auſtro. Nam ut in fine eſt vehementiſſimus Auſter, ſic in principio leviſſimus, & cùm calidus ſit, elevat tenues nebulas, quæ, ut ſpeculum, referunt imagines urbium, pecorum, & aliarum rerum: & ut vapores, ſic & ſpecies illæ moventur: ut eſt videre in ſpeculis motis, atque agitatis, in quibus, res ipſæ moveri videntur. Et quoniam res rectè occurrunt vaporibus, rectè videntur, ut & umbra, quæ opponitur corpori luminoſo. Quæ verò tranſversè, ac reflexè rerum ſpecies ſuſcipiunt, in his res quoque ipſas reflexas videmus. Sic & in aqua videmus culmina montium, & tectorum in inferiori parte: fit enim ut quæ aquæ ſuperficiei propinquiora ſunt, ut fundamenta à noſtris viſibus ſint longinqua: culminum verò tectorum, quæ ab aqua ſunt remotiora, imagines ad nos magis accedunt: ideò, & inferiora videntur. Sic etiam & nobis in clauſa domo exiſtentibus, parvo per rimulas ingrediente lumine, omnia tranſversè vidētur, ut hominū capita deorſum, pedes ſurſum: lineæ enim umbrarum non rectè procedunt, ſed tranſponuntur, atque in medio interſecantur. Hoc idem in ſpeculis concavis accidit, ut ſuperior

pars ſpeculi infimam partem rei viſæ, inferior ſuperiorem reddat. Hæc quæ dixi, phaſmata deludunt ſæpe obtutum viatorum, qui dum ſe prope urbem eſſe exiſtimant, longiſſimè abſunt. Viſæ ſunt etiam in hoc tractu in aëre ſpecies hominum equis inſidentium, & pedibus ambulantium. Sic & Scriptores literis mandavere, viſas fuiſſe in cœlo armatas acies, & hæ, ut puto, ſpecies erant earum rerum, quæ longè aberant, atque ab eo loco, in quo ſpecies viſæ ſunt, videri minimè poterant. Sic & denarium in fundo vaſis non videmus, at ſi idem vas aqua impleatur, videmus non denarium, ſed illius imaginem in ſummo aquæ, quod aëri contiguum eſt: ſuperficies enim aquæ, ſuperficiei aquæ proportionatur. Sed an illæ imagines ſubjectæ ſint in ſpeculo, an in aëris extrema parte, alia quæſtio eſt. Ait Ariſtoteles, Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato. Quandoque figuræ nubium, ſunt quæ navium, & velorum ſimulacra reddunt, ubi nulla eſt claſſis. Hæc phaſmata non ſolum inexpertos fefellerunt. Non diu eſt quòd tota ora, quæ eſt ab Hydrunto ad Garganum montem, una & eadem hora ante ortum ſolis vidit claſſem ab Orientis parte velificantem, creditum eſt Turcarum illam fuiſſe, & antequam phaſ-

ma, ſeu illa deluſio albicante aurora detegeretur, variæ hùc atque illuc literæ ſcriptæ ſunt, ac miſſi nuntii de adventu ingentis claſſis. Hoc fortaſſe modo, aut altero, quem diximus, ut credo, à Lilybæo vidit neſcio quis claſsem è portu Carthaginis exeuntem. (82) In hac urbe, de qua nunc loquimur, & gymnaſium quondam fuit Græcarum diſciplinarum tale, ut cùm Meſapii Græci laudare Græcas literas volunt, Neritinas eſſe dicunt. Sunt enim hæ literæ perpulchræ, & caſtigatæ, & iis, quibus nunc utuntur impreſſores Orientalibus ad legendum aptiores.

(82) *In hac Urbe, de qua nunc loquimur, & gymnaſium quondam fuit*) Hoc argumentum fusé paucos ante annos tractavimus in Oratione præcipua, quam Neriti habuimus, quum rurſus aperiretur Academia *Infimorum* Renovatorum, cui à *Lauro* nomen fuit antiquitus. Ubi perſpicuè hunc ipſum Galatei locum illuſtravimus, & florentes in Neritina Urbe literas multorum Scriptorum teſtimonio comprobavimus. Quare mirati ſunt plerique Viri doctiſſimi Hyacintum Gimmam eruditum cæteroquin Scriptorem in *Idea Hiſt ria Literata Italiæ* de priſcis literatis Scholis in Neapolitano Regno non perfunctoriè agentem Neritinas omninò præteriiſſe. At non omnia ſcimus omnes multa in eodem Opere, & alibi pro re nata deſiderantur, quæ auctorem latuere, nimirum res magnæ diuturno ſtudio, non brevi perficiuntur: nec Opera ſtatim, ac initia ſumunt abſolutiſſimam undequaque perfectionem accipiunt.

tiores . (83) Inclinante Græcorum fortuna, poſtquam à Græcis provincia ad Latinos traſmigravit, celeberrima Neriti hoc toto regno fuere literarum ſtudia . Hanc urbem Sanſeverinorum familia armis, & literis illuſtravit. Temporibus patris mei ab omnibus hujus regni provinciis ad accipiendum ingenii cultum Neritum confluebant. Omnis, ſi qua eſt (84) in toto terrarum angulo diſciplina, à Nerito

ortum

(83) *Inclinante Græcorum fortuna*) Ideſt medio ferè undecimo Chriſti ſæculo, quo tempore Northmanni rerum in Apulia, Calabria, cæteriſque Neapolitanum modo Regnum conſtituentibus Provinciis potiti, res Græcorum, quos exegerant in deterius labi cæperat. Vide, ſis, Lupum Protoſpatam, Guillelmum Apulienſem, Anonymum Authorem Chronici Nothmannici de rebus adverſus Græcos in Apulia, & Calabria ab illis geſtis, aliosque Antiquos hiſtoricos à Clariſſimo Viro Ludovico Antonio Muratori Amico noſtro Mediolani nuper vulgatos in Tomo V. *Rerum* Italicarum.

(84) *In toto Terrarum angulo*) Extremum Italiæ latus, quod inter mare ſuperum, & fretum Tarentinum in Epyrum, & Acroceraunios tendit *Angulum* appellavit, & Horatius Flaccus de Japygia ſcribens in lib. 2. *Carmin.* cujus verba recitat idem Galateus pag. 12 Poetam ipſum noſter Antonius conſtanter imitatus; eodem dicendi genere uſus eſt etiam in Epiſt. ad Loyſium Lauretanum de *Laudibus Venetiarum* edita à Clariſs. Viro Dominico de Angelis in Tomo primo de Vitis *Literatorum Hominum Salentinorum* pag. 55. *Sumus enim*, inquit, *in hoc remotiſſimo Italiæ Angulo*, & Paulus Jovius Epiſ. Nucerinus Antonii Galatei texens Elogium: *Hic è Sallentino extremo Italiæ angulo*.

ortum habuit. Hic literas didicere illa duo noſtri ſæculi lumina, (85) Robertus Lupienſis, & (86) Franciſcus Neritinus: alter eccleſiaſticorum declamatorum, omnium, qui fuerunt,

(85) *Robertus Lupienſis)* Quidquid ad Roberti Caraccioli doctrinam, Vitæ probitatem, & inſignem concionandi peritiam pertinet, fusè congeſſit eruditus Dominicus de Angelis in Prima Parte Vitarum Virorum literis illuſtrium Sallentinorum à pag. 1. ad pag. 26, ubi Scriptorum quoque teſtimonia protulit, qui de eodem cum laude egerunt.

(86) *Franciſcus Neritinus)* Franciſci Securi ex Patrio Oppido cognomento Neritini laudes paſſim apud veteres, recentioreſque Scriptores leguntur, *Sapientiſſimum, atque doctiſſimum* illum appellat Felix Caſtelfranco, *Philoſophum, & ſui temporis Theologum inſignem*. Michael Pio in 2. Parte lib. 3. *Vir Illuſt. Ordin. Prædic.* Nicolaus Toppus in Bibliot. Neap. *Principem Scientiarum, & Patavinæ Academiæ Patrem*. Vide deniq; quidquid de ipſo ſcripſerunt Antonius Luſitanus in ſua *Bibliot.* Plodius, Ambroſius in *Cathal.* Vallus in *Compend.* Part. 2. Aloyſius Taſſellus lib. 3. cap. 23. *Antiquit. Leucæ*. Sebeſtianus Pauli in *Vita Ambroſii Salvii Neritinorum Epiſcopi* lib. 1. cap. 2. Ambroſius Altamura in *Bibliotb. Dominic.* anno 1480, qui emendandus eſt, dum Franciſcus Sancteblaſiæ familiæ appingit nullo veteri fulſus teſte priſcis omnibus, atque recentioribus Neritinæ hiſtoriæ monimentis repugnantibus. Extat in Aula maxima Neritini Epiſcopatus vetuſta ipſius Franciſci Effigies Ambroſii Salvii Neritinorum Epiſcopi juſſu depicta, quæ ſequentem Inſcriptionem præfert.

Digitized by Google

fuerunt, quique futuri ſunt præſtantiſſimus, alter Patavinæ Academiæ pater. Hìc & ego prima literarum fundamenta hauſi. Galatana me genuit, hæc urbs educavit, & fovit, & literis inſtituit. (87) Hìc Aquevivus tuus, imò & meus Belliſarius, magni Aquevivi

frater,

MAGISTER FRANCISCUS SECURUS NERITINUS
PATAVINI GYMNASII PRIMÆ CATHEDRÆ PHILOSOPHIÆ, AC THEOLOGIÆ ILLUSTRATOR.

Vide deniq; quidquid de ipſo ſcripſere Jacobus Ekard in lib. de *Script. Ord. Prædic.* Tom. 1. fol. 857. Joan. Bernardinus Tafurus in Panegirica Oratione de *antiquis ſtudiis*, *Academiis*, & *Viris illuſtribus Neritinis*. Bonaventura Lamenſis in Secunda Parte *Cronicarum Minor. Obſerv. Refor. Provinciæ S. Nicolai* hiſtoriam texens Cœnobii Neritini ſui Ordinis.

(87) *Hic Aquevivus tuus*) Fuit is Belliſarius poſtremus Neritinorum Comes, unicus Marchio, deinde primus Dux, de quo ſæpe Antonius Galateus in aliis operibus, Albinus, Pontanus, Sannazarius, Gravina, Summontius, Cariteus, aliique Aucthores æquales ætate cum laude agunt. Longè plura de ipſo meus Bartholomæus Tafurus in *Vitis Neritinorum Ducum Aquivivorum*, à Scipione Ammirato in *Hiſtoria Nobil. Familiar. Neapolitanar.* à Philiberto Campanile in Opere, cui titulus *Inſegne de' Nobili* in Familia Aquiviva relatis, Jo: Paulus Tarſia in *Hiſtoria Cuperſanen.* Fuit verò Belliſarius non bellicis modo artibus, verùm eruditione clarus: nec parva reliquit exculti ingenii ſcripta monumenta: quæ in noſtris *Additionibus ad Neapol. Bibliothecam* recenſebimus.

frater, dominatur. Neque ero ingratus, ſi ut initium deſcriptionis Tarento, ſic & finem Nerito tribuero. Hoc exigit locorum ratio, & cōviviorum magiſtri ſemper aliquid, quod maximè delectet, in finem reſervant: ſic,

(88) *Neritum longæ finis charthæque viæque.*

(88) *Neritum longæ finis, chatæque, viæque.*) Imitatus eſt Horatium Flaccum, qui in Libro *Sermonum* Satira V. poſt deſcriptum iter Roma Brunduſium orationem claudit hoc carmine:

Brunduſium longæ finis charthæque, viæque.

ADDENDA

Pag. 20. *Horum omnium cauſam cœli temperiem eſſe dixerim: nam hic ut in Campania*) De Campania, ejuſque ſitu, cœli clementia, ſoli ubertate, & antiquis in ea Populis abſolutiſſimum Tractatum ſcripſit doctiſſimus Antonius Sanfelicius Patricius Neapolitanus: quem notis eruditiſſimis illuſtravit Antonius Sanfelicius junior, dum ætate floreret, & amœnioribus literis navaret operam: Is Neritinæ demum præfectus Eccleſiæ Urbem, ac Diœceſim dignis vigilantiſſimo Epiſcopo virtutibus, ac fictis in dies illuſtrat genere, doctrina, & moribus undequaque ſpectandus.

Digitized by Google

ANTONII
DE FERRARIIS
GALATEI
OPUSCULA.

Digitized by Google

AD LECTOREM
JOANNES BERNARDINUS TAFURUS.

Poſt Librum de SITU JAPYGIÆ optimum factu viſum eſt, aliquot etiam ejuſdem Auctoris Opuſcula, aliàs ſeorſim publicis typis vulgata, collecta recudere. Tum ut pretium nevæ editioni adderetur: tum etiam, ne quid eſſet alibi excuſſum, quod eruditi Viri in hoc Volumine cuperent. Longè verò plura ex manuſcriptis deprompta Codicibus, ac diligenter conlata opportuniore tempore adiiciemus, ſi optimæ voluntati tempus non deerit. His intereà Lector humaniſſimè, utere felix: tuoque Nos favore ad majora in dies allicias.

ANTO-

ANTONIVS GALATEVS Loysio Palatino S. D.

DOleo mi Palatine, noſtræ regionis celebritatem ita concidiſſe, ut & ſi veſtigia, & (ut ſic dicam) buſta magnarum urbium pleriſque in locis cernantur, memoria tamen nulla extet, aut rerum geſtarum, aut ipſarum urbium, aut peculiarium literarum, quibus Japyges noſtri, antequam Græci eòdem poſt captam Trojam adventarent, utebantur. Sic res mortalium eunt, omnia tempus conſumit, ac perimit, ut puto Japyges Trojanis, aut paulò antè temporibus clari extitere. Poſt Lictiorum, & Idomenei, & Spartanorum, & Phalanti adventum revixere, Græcis literarum monumentis omnia mandantibus. Rurſus Gothis, deinde Longobardis Italiam tenentibus, Grecis, ſeu potius Romanis repoſcentibus; retinentibus barbaris, omnis, quæ media erat regio inter utrumque imperium vaſtata eſt, ac penè deſerta. Eſt enim terra Meſapia, ſeu Japygia, in diſcrimine poſita & Orientis, & Occidentis. Exemplo tibi ſit Turcarum bellum:

Digitized by Google

lum : quod ſi paulò diutius geſtum fuiſſet, illam terram exhauſtam, ac penitus deletam videremus: Ut, quæ & hominum multitudine quondam floruerat, Peloponeſus illa tot potentiſſimorum populorum capax, nunc ob aſſidua Venetorum, & Turcarum bella, vacua eſt, & ſui miſerabile prębet ſpectaculum. Antiquos ſcriptores non habemus, ut Eratoſthenem, & Hipparchum. Strabonis, Dionyſii, Pomponii, Plinii, & Ptolęmæi temporibus, in hac terra rerum viciſſitudine parva ſupererant oppidula. Nos etſi nõnullos Geographorum, & Hiſtoricorum libellos revolverimus, pauca tamen invenimus notatu digna. Tarentum, Plato, Architas, Ariſtoteles, Theophraſtus, & Hannibalis bella: Brunduſium verò portus in toto terrarum orbe notiſſimus: & Romanorum frequens in Græciam trajectus celebravere: ideò ſcriptores aliqua de illis memoriæ tradiderunt: cætera omnia interierunt. Inde Hydruntum Joannis Vitaliani, Juſtiniani principis in Gotthico bello ducis virtus illuſtravit, unde toti regioni nomẽ dediſſe illam urbem haud dubio argumẽto crediderim. Leucam Uxentum, Gallipolim, Neritum, Vaſtas, & unde mihi origo eſt Galatanam, Soletum, quod veteres Græci Salentum vocant, Rhudias, Mandurium,

Cœlias,

Cœlias, Oreas: Galeſum ſenectus ferè confecit. Noſtras Lupias M. Antonini principis hiſtoria decorat, quæ illum à Malennio Daſumni filio Salentinorum rege, maternum genus duxiſſe perhibet. Alij Lupiarum, & Rhudiarum tantum nominis meminerunt. Guido Ravennas, quem Recentiores ſcriptores in pleriſque teſtem adhibent, & quem ego nuper legi, nec recens eſt nec vetus author. Illius temporibus, quo in ſtatu res noſtræ eſſent, ex ipſius verbis, quæ tibi mitto, intelliges. Leges multa, quæ intelligere operepretium eſt. In quibus deliquit, ea tempori imputanda ſunt: in his venia, in illis laude dignus eſt. Nam ſi illa qualiacunque ſint, non ſcripſiſſet, ne hæc quidemq; ad te ſcribo noſceremus. Tu verò ita illum legas, ut & tibi ipſi fidus ſit teſtis. Illius judicio ita utere, ut à tuo minimè diſcedas, meamq; ſententiam tam diu probes, quamdiu veriorem non inveneris. Non enim facilè eſt, ea, quæ ab hominum memoria abolita ſunt, recenſere: nos tamen quoad poſſumus patrium ſolum illuſtrare debemus. Quod ille Lupias in Salentinis poſuit, verum dixit: quòd Lupiæ nunc Gallipolis dicatur, fallitur, nam Lupiæ ſunt, quoniam ipſe Liciam nuncupat. Quod Ennius in Calabris natus fuerit, verè narrat;

quod

quòd Tarenti ortus, minimè. Nam Pomponius ait, Cive Ennio nobiles Rhudias: quæ ab ipſo Rugæ appellantur, nec longè à Lupiis ſitæ ſunt. Fortè inter ipſas urbes nihilò pluſquam ſpatium tredecim ſtadiorum interjacet, utroque nomine ob corruptam ab incolis appellationem, deceptus eſt. Vale.

ANTO-

ANTONII GALATEI

DESCRIPTIO URBIS CALLIPOLIS
Ad
Summontium.

SIS ſalvus optime Summonti quoniam non vis à ſacra Simoentis unda Simoentium vocari. Quæris quid hìc agã, procul ab amicorum cœtu, procul ab urbe tot potentiſſimorum quondam populorum, tot antiquarum urbium principe, & omnium quæ ſunt, aut fuerunt unquam, aut erunt amœniſſima feliciſſimaque. Primùm de urbe, in qua moror aliquid dicam, poſtea quo in ſtatu Galateus fiet, intelliges. Hæc à pulchritudine non immeritò nomen ſortita eſt. Græca urbs fuit: neſcio unde acceperit Plinius, Gallos Senones hìc habitaſſe. Nam non Gallipolis hæc urbs dicitur, ſed, ut antiqui habent codices Callipolis. Sita eſt in promontorio longè in mare procurrente: opus ludentis naturæ, & admirandum, jacet inter duos ſinus. Exit à collibus ex utroq; ſinu jugum quoddam, quod per quatuor millia paſſuum, continuè magis, ac magis ſe in arctum

colli-

Digitized by Google

colligit, quouſque tam anguſtum Iſthmum, ſeu potius fretum faciat, ut vix currus permeare poſſit. Ante arcem, quæ urbi prominet, pons eſt, qui duo maria committit, quę urbem non peninſulam, ſed verè inſulam faciunt. Inde iterum terra latius ſe in formam ſartaginis diffundit in orbem, qui urbem totam efficit mediocris ambitus (ut videtur) decem ſtadiorum. Urbs eo tempore, quo capta eſt, nec muris, nec machinis, nec præſidio, erat ſatis tuta. Nunc munitiſſima eſt, & è terra, & è mari, ſuperbum & minax, & pulcherrimum ſui præbet ſpectaculum, unde illi nomen indidiſſe priſcos Græcos exiſtimo. Cœlum habet ſudum, tenue, temperatum, & ventoſum non fumoſum, ut iſta noſtra, & humidum: venti enim hìc undique ſine aliquo obice perflant. Eſt enim urbs intus plana, ſed in ſcopulis è mare elatis poſita. Duo ſunt hìc, in quibus maximè admirari licet antiquitatem, & architecti induſtriam, & ſolertiam. Contemplatus eſt, quiſquis fuerit vir ille, expoſitum eſſe hunc locum aſſiduis ventis, ideò nullum, imò fortaſſe optimum, & ſanitati incolarum accommodatum, ſervant viæ ordinem. Nullam viarum præcipuè, quæ procedat ab Auſtro ad Boreā, qui ſæpiſſimè, & vehementiſſimè flare ſolent,

rectam fecit, ſed alteri altera ſæpè occurrit: altera alteram ſubinde intercipit, inflectitur, curvatur in gyrum, diſcurrit, redit in ſeipſam, nunc in rectum, nunc in obliquum ſolvitur angulum: nunc rectè, nunc obliquè procedit, adeò ut antiquis habitatoribus difficiles ſint viarum perplexi, & inexplicabiles, & amphractuoſi meatus. Hoc modo putavit ille vim ventorum poſſe frangi, ac mulceri. Occurrit mihi exemplum illius architecti apud Vitruvium, qui mutato viarum ordine, neſcio cujus civitatis, ex peſtilente incolumē aërem fecit. Alterum eſt, in quo artificis ſagacitatem admiror. Fons eſt, qui circiter ſexcentis paſſibus abeſt ab urbe, non nativus, ſed mira arte fabrefactus. Elegit ille locum, ubi ſex, aut ſeptem puteos fodit aquæ ſaluberrimæ, quos omnes per cuniculum junxit. Deinde extendit cuniculum uſque ad declives rupes mari impendentes, ubi oſtium fecit fontis, & quæ hominum, animantiumque cæterorum uſui ſupereſt aqua, in mare proximum defluit: olim uſque ad portum qui eſt ante urbis portam, perveniebat: videntur enim quædam aquæductus veſtigia. Ita ille aptavit, libravit, æquavit, & perpendit humeri alveum, ut ipſe fons æſtate, & hyeme, & Auſtro flante, aut Broea, ſemper fluat. Quoniā

(ut ait Theophraſtus) ſingula loca ſua habent vicia, alia ex ſolo, alia ex aëre, alia ex utroque, & fortaſſe ex alia cauſa, [ut ait Avicenna] ignota nobis, plerumque enim apertos noſcimus ictus, unde tamen veniant tot mala, cæca via eſt. Galenus ait, Romæ hæmitreos abundare, & alias regiones aliis, atque aliis morbis infeſtari. Noxium tamen eſſe hoc cœlum pheyſicis, æmoptoicis, tabefactis, & macilentis experimento didici. Cæteris mortalibus ſalubre, præcipuè Galateo, qui pinguiuſculus eſt. Accio noſtro hic aër non eſſet innoxius: mihi autem hic magis convenit, quàm aër Galatanæ, ubi natus, aut Neriti, ubi educatus, aut Lupiarum, ubi tamdiu moratus ſum. De iſtius verò urbis noſtræ, in qua à ſexto decimo anno uſq; ad hanc ætatem, non parum temporis ſubinde peregi, & cœlo, & ſolo, melius eſt ſilere, quàm pauca dicere. Non ſolùm iſta Galateo accommodata ſunt, ſed univerſa ſe humano generi, & ubique locorum natis hominibus. Iſtic hyemes æſtateſq; mites ſunt: iſtic eſt perpetuum ver, atque alienis menſibus æſtas: iſtic eſt felix, & beata illa à Græcis, & Latinis authoribus celebrata amænitas, & cœli clementia, & omniũ rerum ubertas: opus certè (ut Plinius ait) gaudentis naturæ. Quibus humanarum

rerum

terum ſevicia caret infelix Galateus. De hoc hactenus: nam ubi locus, tempuſque poſcebat ſatis multa diximus, dicemuſque. Joannes Italianus Genuenſis, Accii noſtri familiaris, vir locorum ſcientiſſimus, impiger terrarum urbiumque explorator, dicere ſolebat, ſe optare ſenectam agere apud nos. Elegerat ſibi Japygiam terram pro ſepulchro, præcipuè Callipolim: ſed Deo aliter viſum eſt. Ait ille, qui ſapientis nomen vendicavit: Multæ ſunt cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternum permanebit. Scimus, ut ajunt, ubi nati ſumus, ſed quo in loco moriturus ſit, nemo mortalium novit. Obiit Epidauri, vir Accii noſtri judicio longiori vita digniſſimo. Hujus cœli temperiem ſignificant optimæ habitantium temperaturæ, ſi non me vis meo more dicere, complexiones, & rectius (ut puto) & ſignificantius, ut in libello meo de Eucraſia demonſtravi. Facies jucundæ, colores vividi, optimi habitus, corporis agilitas, rari morbi, niſi quando cœli communis inclementia eſt. Solent enim in iis, quæ terra gignit, & in ipſis hominibus, & in cæteris animantibus, quæ temperatiora, nobilioraq; ſunt, celerius calamitatem pati. Ideo mitior orbis plaga ſegmentorum mundi, & ipſi homines, tot morbis obnoxii ſunt, non

injuria naturæ (ut quidam exiſtimant) ſed ſic dixerim, beneficio. Dedit enim homini natura molles & teneras carnes, non hiſpidas, non hirſutas, unde optima temperatura, & mentis acies, & præſtantia judicatur. Ideo molliores carnes, aptiores mentes dicimus. Et quoniam ut ex temperantia regionum, mores: ſic ex moribus incolarum, Hippocrato, Ariſtotele, & Galeno auctoribus, agnoſcuntur, & temperies, & intemperies regionum. Etenim talem eſſe, inquit Hippocrates, naturam noſtram, qualis eſt regio. Plato quoque non diſſentit ab illo, quem nonnullis in locis ſummopere approbat: in quinto legum inquit: magnam eſſe locorum differentiam, ad producendos meliores, pejoreſve homines propter varietatem cœli, & ſolis, ventorum, aquarum, ciborum, & ut ait, diviniȩ inſpirationis. Habent enim, ut dicunt, ſingula loca ſuum genium, quemadmodum & homines. Idem in Critia: Dii, inquit, ſigillatim regiones ſortiti ſunt. Fit in ſacra hiſtoria mētio genii, ſeu principis regni Perſarum: Idem Plato in Epinomide, Atticam terram putat eſſe omnium optimam ad virtutem, inter hyemalem, & æſtivalem, naturam mediam. Cicero in libro de fato: Athenis, inquit, tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur

Atti-

Attici, craſſum Thebis, itaque pingues Thebani, & valẽtes. Hic homines puriſſimi ſunt, bene morati, non mendaces, non rapaces, nõ ſeditioſi, non intemperantes, non cupidi, nõ ambitioſi, & (quod Plato maritimas urbes incolentibus tribuit) non injuſti, non fraudolenti, ſed verares, & fideles, parci, frugales, ſuis rebus contenti, & inter ſe concordes, & in ipſo mari, & in appulſu exterorum, & in tot ſtipendiariorum militum conſuetudine, & in utraque fortuna integritatem, & conſtantiam ſervant ſuam. Sæpe enim (ut vidimus) ob fidem ſervandam dira paſſi ſunt, neque unquam tot mala fregerunt illorum animos. In pace mites ſunt, & tractabiles, & humaniſſimi. In bello [prout regio fert] ſi Puderico placet, pluſquam ſatis animoſi, & ſtrenui. Teſtatur quidem foris agrorum vaſtitas, villarum, & omnis generis arborum incendia: domi verò anguſtia rerum omnium vitæ neceſſariorum, & hujus urbis miſeranda clades, & pertinax virtus, & Venetorum, deinde Hiſpanorum, Gallorumque arma, quantum hi fide, & animo valeant. Tota circà regione adverſa penè obſeſſi, Gallorum turmas Marco Antonio Philomarino duce, multis Gallorum cæſis, aut captis, uſque ad quintum, & ſextum lapidem ſæpe perſecuti

 ſunt.

ſunt. Puerorum, & adoleſcentium liberalis, & modeſta eſt educatio: abeſt ab illis commune adoleſcentium noſtræ ætatis vicium, arrogantia & inſolentia. Sunt inter ſe amantes, & benevoli. Ludis, quod commune eſt, & perniciosum noſtri ſæculi malum, non ſatis dediti, & quod eſt maximum omnium, quæ in vita, bonorum: hic populus religionis & divini cultus haud negligens eſt. Habent urbis patronam, & præſidem Divam Virginem Agatham, quàm piè venerantur boni bonam. Et quod nos multis perſuaſionibus ab ægrotis vix impetramus, ut rem divinam faciant, ſive victuri, ſive morituri, hi ſponte faciunt nemine ſuadente in puſillo ulcere, aut dolore, in puſilla fabricula, in omni denique morbo, vel minimè periculoſo rem divinam expoſcunt. Tantam virorum fidem, & probitatem æquat matronarum temperantia: ferè omnes abſtemiæ ſunt. Mundicies, induſtria, domeſtici labores, cura, & diligentia rei familiaris, pudicitia, & erga viros obſequium: feſtis diebus non per urbem, niſi rarò, non per agros, quos longè ab urbe habent, vagantur, ſed domi latitant: cæteris verò diebus lanam, linumque faciunt. Puellarum decor quidam, natura non arte, & nimio cultu comparatus: aſpectus gratiſſimus,

Digitized by Google

facies formoſæ, hilares, fuſculæ, & venuſtæ, corpora puſilla, & valida: ſermo dulcis, rarus, & lepidus: comæ, & ocelli nigricantes, acres, & nitidi & flammantes. Habent neſcio quid Betycum, aut Tripolitanum, hoc eſt, Leptitanum, & illud Theocriti, quod ſçpe eſt in ore Accii noſtri *Bombyica Charieata*, & illud: *At mihi quæ didicit pungere Chia ſapit.*

Tales fuiſſe puto Spartanas virgines, niſi quod ille per montes, & nemora vagari, & venari, & cum viris congredi ſolebant. Hæ urbem monophylam, & monobaſiam nunquam egrediuntur. Viros priuſquam nupſerint, non modo alloqui, ne aſpicere quidem audent. Nec paleſtræ indulgent, ſed ut matres lanam, linumque faciunt. Nemo illas in feneſtra conſpexit: nemo illas in vano, & inhoneſto, aut geſtu, aut nutu, aut intuitu deprehendit, ſed adhuc puellulæ rem familiarem tractare incipiunt. Dantur nuptui, quãvis non ſecundum Platonis, & Ariſtotelis inſtituta virgunculæ, & tenellæ. Nullam ferè innuptam invenies ad duodecimum annum, aut tertium decimum. Etſi pace Puderici noſtri dicere poſſem, quod rarum, aut fortaſſe ignotum in Italia, ſed verè Laconicum, unde profectos Callipolitanos, & quoſdam finitimos puto: Mulieres virorum ſuorum

ſtrenuitatem imitantur. In expugnatione urbis pleræque mulieres defeſſis, aut vulneratis, aut interfectis ferè omnibus viris muros fortiter conſcenderunt, & aliquandiu hoſtiũ impetum ſubſtinuerunt, donec confluentibus undique triremibus onerariis, & roſtratis navibus cum ingenti bellatorum multitudine, & innumeris machinis, & variis tormentorum generibus, multæ vulneratæ captæ ſunt, nonnullæ ſtrenuè pugnantes ceciderunt. Unde non ab re, cùm de ea re incidit ſermo, dicere ſæpe ſoleo, Callipolitanos, & Hydruntinos non victos fuiſſe, ſed à multitudine hoſtium ſuperatos. Hominum quicumque illi ſint, ſive Græci ſive barbari, ſive hoſtes, ſive amici benefacta celebrare, non tacere, aut diſſimulare, viri boni, & veritatis amatores debent. Veneti quamvis non chriſtianiſſimi appellentur, ſed ut verè Itali, & verè chriſtiani, capta urbe, mulieribus omnibus pudicitiam diligentiſſimè cuſtodierunt, & ſanctè ſervaverunt in templo Divę Virginis Agathæ, ut verè dicere poſſimus:

Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.

Quinetiam à cædibus, igne, & ſanguine temperuerunt, & captivos redimi vetuerunt. Hic ut & Monopoli mitius quã fieri ſolet jure belli uſi ſunt. Certè non minus laudanda eſt

in vi-

in victoria temperantia, quàm in adverſis, & afflictis rebus tolerantia, & magnitudo animi. Qua temperantia qualiter uſi ſint exteri, novit infelix Italia, quorum furta, rapinas, ſacrilegia, ſtupra, incendia, tormenta, cædes, impietatem, immanitatem, quis animo volvens, poterit continere lachrimas? Sed hæc miſſa faciamus: longiori enim egent oratione, ſeu potius lamentatione, & deploratione. Vis dicam, Summonti, videor mihi aut in urbe illa, quàm Plato finxit, aut Lacedęmone commorari. Sentio enim hìc aliquid Græcanicum. Agnoſco, imò olfacio Græcanicos quoſdam ritus, quamvis hæc urbs conſeneſcente, & in occaſum vergente Græcia, ut cæteræ Italiæ urbes, Græcam linguam, qua me puero utebatur, omiſerit: mores tamen non penitus omiſit. Hîc optime Summonti feliciter viverem, ſi ſine labore poſſem, ſi Accium, ſi te hîc haberem, ſi cæteros Academicos, ſi qui ſuperſtites ſint: quos elapſo hoc anno me viſurum ſpero. Demum feliciter agerem, ſi nihil agerem. Felicitatem, inquit Ariſtoteles, in quiete eſſe: laboramus enim, ut ociemur, & bellum gerimus, ut in pace vivamus. Certè illa meo judicio nihil agentium eſt, non negocioſorum, quod vel invitus fatetur Cicero. Vera eſt illa Poëtę ſententia:

En tò

En tò midèn ph onìn, id ipos Bìos.

Sic res ſe habet. Senem animi, non corporis labor decet. Prima, & media vitæ tempora, patriæ parentibus, natis, amicis, conſanguineiſque, extrema nobis ipſis impartiri debemus. Sed Galateum ad perpetuos labores natum eſſe fortuna voluit. Nulla urbs quam ego noverim aptior eſt beato ocio, ſi quis eo frui ſciret, aut poſſet. Nulla tranquillitati vitæ, nulla aptior viris emeritæ militiæ, quorum hic non parvus eſt numerus: nulla literarum ſtudioſis, nulla aptior iis, qui negociorum curas, & moleſtias fugiunt. Videtur enim hæc urbs verè ad ocia nata, ut olim iſta noſtra. Nunc verò tota negociis dedita ex ocioſiſſima rerum viciſſitudine facta eſt negocioſiſſima. Hìc nulla ſunt negotia præter domeſtica, & ea non ſatis magna: nulli tumultus, præter maris, & ventorum:

Et juvat immites ventos audire cubantem.

Sed non urbem perambulantem. Nullæ hìc rhedæ, nulli currus, qui anguſtias viarũ impediant, nullæ ſeditiones, nullæ rixæ, aut rarae: nullæ ſalutationes, nulla ſuperba potentiorum limina, non nimiæ delitiæ, non divitiæ bonorum morum corruptrices, & viciorum alumnæ. Hìc ex æquo vivitur. Hìc pene eſt illa tantopere, & tamdiu depicta, expe-

expetita, & optata, nedum inventa *iſonomia* hoc eſt, geometrica illa æqualitas diis, atque hominibus præter paucos grata, ut ait Plato: excelſus enim contrà, & diis, & hominibus inviſus eſt. Hìc eſt imago, & umbra quędam illius civitatis ſanctæ, quæ in cælo eſt, eritq;, quæ de cœlo in terras nondũ deſcendit: illius reipublicæ, quam ſapientes, ut & ſapientem, & bonum virum, ſic animo, & verbis, non digito monſtraverunt. Quæſtio enim eſt non de eo quod eſt, aut fuit, ſed de eo, quod eſſe debet, ſi unquam, aut uſpiam fuit, aut eſt. Hìc inter maximum, & minimum, inter nobiles, & plebem diſtantia quidem eſt, ſed quam Philoſophi, & ipſe Plato laudat: non nimia, & exceſſiva, ſuperba, & contumelioſa, quam ſancti viri, & duo antiſtites ſapientiæ Plato, & Ariſtoteles abhominati ſunt ut alius quidem eſuriat, alius ebrius ſit: hoc eſt, ut alius cœlum tangat vertice, alius demergatur ad inferos. Ait Plato VIII reipublicæ: Neque alii opulentiores ſint, quàm decet, neque alii mendici, non regium, non imperatorium, non humanum, ſed divinum præceptum eſt, non duodecim, ſed duarum tabularum: Indigens, & mendicus, non erit inter vos: Tandem non ut olim erat apud Perſas, nunc autem apud Gallos, ut alius ſer-

viat,

viat, alius dominetur: ſed ſtata quædam hîc eſt, & moderata æquabilitas: utraque enim immoderata mala eſt, & libertas, & ſervitus. Diſtantiam dixi quo ad genus, divitias, dignitatem, magiſtratum virtutem: nam quoad illa, ſumma æqualitas, ſumma inæqualitas eſt. Quantum verò ad jus pertitet, & libertatem, ſumma [ut par eſt] paritas eſt. Non eſt, ut lex divina ſancit, diſtantia perſonarum. Nam in qua nimius eſt exceſſus, aut acceptio perſonarum, aut divitiarum potentiæ, & gratiæ reſpectus, non rempublicam appellaverim, ſed privatam, & propriam, quam olygarchiam ſignificantius, ut cætera Græci dicunt, quæ mera tyrannis eſt. Hæc Græciam, hæc Italiam perdidit, perdetque. Paucæ hîc ſunt lites pauci inſani fori clamores, pauca delicta, pauca odia, nullæ ſimultates, nulli carceres. Multas gentes viderat Italianus:

Nam mores hominum multorum vidit, & urbes:
Sed, ut dixi, non ſine cauſa, hanc elegerat. Hîc vivimus ſine invidia, ſine ambitione, ſine ſuperbia, ſine convitiis, ſine injuria, ſine rerum omnium luxuria. Nam neque effusè affluunt opes, neque urget dira egeſtas. Hinc ſine timore, & concorditer tanquam in tutiſſima arce vivitur. Urbs nunc munitiſſima

eſt, &

eſt, & natura, & regum impenſa, & oppidanorum, finitimorumque populorum labore. Libera eſt, & immunis ab omnibus vectigalibus. Hìc ſalubri fruimus cœlo, & læto colliculorum proſpectu, mare habemus undiq; cœlum penitus à cæteris diviſi, & commerciis, & moribus. Hìc ego & cibo, & ſomno parcius utor, valeo athleticè. Tertia aut quarta noctis hora eo dormitum, nona aut decima ſurgo: ego aliquid, aut ſcribo, quid faciā: dormire amplius nequeo in lectulo pudico, & celibe, & pleno curarum. Reviſo annotationes meas, hoc eſt antiquos labores meos, qui mihi ſunt maximæ voluptati nedum ſolatio. Non enim ex hac re mihi famam, aut commoda quæro, ſed cogito quæ mihi proximo die agenda ſunt. Ante orientem ſolem, ſi dies feſtus eſt, aut profeſtus, rei divinæ vaco in templo divæ Virginis Agathæ: ſin nefeſtus, domi maneo, deoſoro. Ad primam lucem urbem circumeo, ægrotos viſito, deinde prādeo ſobriè [ut meus eſt mos] non lautè, & opiparè. Gaudeo ſimplici cęna, odi compoſitos apparatus, non ſolùm meis, ſed alienis quoque. Poſt prandium lego aliquid facile, non quod mentem agitet, ſed quod levet, atq; delectet: ut ſolent medici dare laborioſis, & defeſſis, cibos facilis concotionis, quos Græci

ἐυπε-

ènpèptus dicunt. Eo tempore veniunt ad me aliqui, qui de ſalute ſua conſulant: hos ego audio. Viceſima hora ægrotos reviſo, aſcendo, deſcendo, laboro, diſcurro, ſudo, quamvis bruma ſit propè. Tandem defeſſus, ac defatigatus ad primas faces domum redeo, ubi aliqui non ignavi ingenii viri me expectant, qui me audiant de philoſophia, de moribus, de mathematica exotericè, non acroamaticè diſſerentem. Talis eſt Galatei tui vita. Tu credebas fortaſſe me odio habere literas, in quas ego tibi acerrimè, & non ſine rabie quadam invectus viſus ſum? abſit quod ego fecerim ullam offenſiunculam cupidiſſimo literarum, candidiſſimo, & in erratis amicorum indulgentiſſimo animo tuo, aut alterius, qui literas colat, unicum in ſecundis ornamentum, unicumq; in adverſis rebus refugium. Non ego per Deum eo animo feci, ut quempiem offenderem, ſed ut bilem evomerem. Non ignoras quàm facilè iraſcantur, imò & rixētur famelici. Sed dicamus bona venia, quid ibi falſum eſt? ſin vera ſunt, quæ dixi, bona quidem ſunt. Vocant dialectici, quædam tranſcendentia: inter illa annumerant bonum, & verum. Nam quicquid verum eſt, id bonum eſſe neceſſe eſt. Sed non ignoro plurimorum hominum aures magis pervias eſſe falſis, quam veris,

veris, & nõnullis falſa, Ariſtotele teſte, probabiliora eſſe veris, imò plerumque & gratiora. Neminem vidi adulatorem necatum fuiſſe ob aſſentationes: ſed ditatum, & locupletatum, & ſaginatum. At benè, & rectè ammonentes, & optima conſulentes audivi multos periiſſe. Sed tu, teſte Quintiliano, ais, non abiiciendam eſſe rhetoricam: quoniam quamplurimi rhetores, per quos cauſidicos, & Juriſperitos intelligere licet, mali ſunt, contra quos ille divino ſpiritu afflatus hæc cecinit: Si verè utique juſtitiam loquimini, rectè judicate filii hominum. Didicerunt enim rhetores juſta dicere, non autem facere. Nec medici ab urbe Roma eiici debuere, ut Cato apud Plinium cenſet. Quoniam plerique medicorum imperiti, imò fortaſſe, & ſcelerati, & homicidæ fuere. Neque ego adeò ſum ignarus, ut id, quod artificis vitium eſt, arti adſcribam: ſed hoc volui dicere, quod multis literæ veneno fuere, iis dico, qui natura improbi, aut male inſtituti ſunt. Neque vinum (ut vult Plinius, & Machometes Saracenorum legis conditor) abominandum eſt, quod homines cogit, delirare, & quod ſit fomentum vitiorum. Paulus Tharſenſis noſter, in vino, ait, eſt luxuria, & Hieronymus: quid ardenti, inquit, corpuſculo fomenta ignium

mini-

miniſtramus? Non ullum crimen vini eſt, ſed culpa bibentis. Non ferri ſceluseſt, ſed ſicarii, & graſſatoris. Neque Græcas literas rectè damnavit Cato, quas ille idem in ſenectute diſcere, imo & ſapere cæpit. Neque puellarũ pulchritudo in culpa eſt, ſed intemperantia noſtra. Non erant Alexandro dolori oculorũ (ut ipſe ajebat) Perſicæ puellæ, ſed mens prava; & perturbata. Nec naturam meritò convenit, & accuſat Plinius, quòd nos non armavit carnibus, ungulis: non veſtivit pilis, ſetis, corio, cruſta, teſta, cortice; hoc eſt, quòd non fecit nos oſtracodermos, aut ſuberaceos, indociles, & duro robore natos, aut lapideos ad exemplum. Niobes, aut natorũ Deucalionis, & Pyrræ. Novimus quales fuerunt Græcorum oratores Demoſthenes, Aeſchines, & his de quo dictum eſt *cacù còranos cacò òòn*, & ii quos arguit, Socrates, qualeſq; urbis Romæ ſummi oratores, & cives nobiliſſimi Craſſus, & Hortenſius, vel ipſo Cicerone teſte. Non enim turpe erat eo tempore apud Romanos primores urbis orare cauſas. Certè ab uno, & tam grandi falſi teſtamenti crimine, poſſunt deprehendi illorum mores, qualeſq; ſint hodie recentiores rhetores, hoc eſt cauſidici, ut dixi. Nollem Summonti errare, aut, quod deterius mihi videtur, pugnã-

tia di-

tia dicere, hoc eſt, præſtat per dialogum, quã per epiſtolam, aut acroamaticè ſcribere, quod poſſis pugnantia dicere ſine nota. Neſcio equidem, an credendum ſit Plinio Juniori, qui aſſeverat, nos nonnunquam ex arte, & re quam tractamus, aliquod vicium contrahere. Ait enim, nos qui in foro, & veris litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus. An quod experientia cõpertum habemus, falſum eſſe patemus? Videmus enim ex militari diſciplina viros fieri glorioſos, jactabundos, rapaces, audaces, ſuperbos, contumelioſos, crudeles: ex mercatura vaniloquos, perjuros, mendaces, fallaces, inſidioſos: ex medicina leves, vanos, intemperãtes, mulieroſos, & ſibi invicem detrahentes, & (ut dicunt) parabolanos: ex honoribus, & magiſtratibus, & principum, & populorum gratia, & favore ſupercilioſos, ambitioſos, inferiorum, æqualium, imò & ſuperiorum contemptores. Unde rectè Prophetes ait: Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis: ex rhetorica contentioſos, injuſtos, modò harum, modò illarum partium patronos, mendaciorum cõcionatores, & fautores, ſatoreſque litium, & dorophagos, & lucri cupidos, exemplo, &

 Craſſi,

Digitized by Google

Craſſi, & Hortentii: officinæ ferè omnes, & qui ſerviles, & voluptarias artes exercent, &, ut Terentius ait, lanii, quoq; & ii quos banauſcs Ariſtoteles vocat, nihil poſſunt habere ingenii Philoſophia ſi ea vera ſit, non ficta, & fugata, & quoniam re, non verbis, & veſtibus cõſtet, ſola eſt, quæ verè homines, & verè juſtos facit, ſub quo uno nomine (ut Ariſtoteles, & divus Hieronymus ait, virtutes omnes continentur. Detur, ut diximus, non arti, ſed artifici culpa, dummodò non negemus artes exercitationes, negocia, conſuetudines, non nihil poſſe ad benè, aut malè vivendum. Ideò ille qui omnia novit, non ſolùm prohibet ad benè inſtituendos pueros malorum converſationes, ſed aures, & conſuetudine audiendi, & oculos à conſuetudine videndi turpia, Quapropter abominanda eſt illa ab impuriſſimo homine Romano principe Heliogabalo turpis, & impudenda, & obſcæna licentia vindemiarum, & inhoneſta omnis pictura, quæ omnia plus exemplo, quàm peccato nocent. Cur quòd antiquis, aut jocari, aut laceſſere, aut vera dicere licuit, nobis non licebit? An quòd illi callide, & per dialogos quaſi in ſcena, aut antiqua comedia loquentes ſi quid erat, aut paradoxum, aut aſperum, aut rationi minimè

con-

conſentaneum, aut difficile perſuaſu, quod vulgi, aut potentum aures pungeret, aut à communi hominum conſenſu diſſentiret. Id ut invidiam fugerent, vafrè, & aſtutè perſonis quibuſdam dicendum committebant, ut alienis periculis ictus evitarent. Quot & quãta contra juſtitiam ſcripſere Plato, Ariſtoteles, Cicero, Carneades, Pyrrho, Menander, Euripides, Ariſtophanes, Plutarchus, contemptorque divum, hominumq; Lucianus, & potenti Flaccus amico circum præcordia luſit. Sed cautè, & ſcenicè, ut dixi, per alienas perſonas, non ſecus ac ſi quis aliena bucca, alieno ſpiritu, inflatis tibiis ipſe ſuis ob gotis modulationem concinnaret. Salluſtius Romanus apertè in mores Romanos invehitur. Livius Patavinus timens, ut puto, impotentiam Romanorum, cum Romanos interdum capere vult, non ſua ipſius ſed aut Hannibalis, aut Sannitum, aut Philippi, aut ſub Aetolorum, aut aliorum perſona id facit. Nemo apertius corripuit mores hominum, quàm viri ſancti Prophetæ, & Philoſophi, quorũ verba ſpicula acutiſſima ſunt, & acerrimo veneno, hoc eſt, ipſa verit. te illita. Calliſthenes Alexandri mores palam execrabatur, Anaxarchus Nicocreontis Cyprii, Socrates Athenienſium. Cato ille ſeverus vitiorum in-

Digitized by Google

ſectator, & Romanæ probitatis exemplum, non ſolum corripiebat vitia, ſed apud Senatum, & judices deferebat, & accuſabat, & ut ad noſtros redeamus, Joannes ille non Apollinis, ſed Chriſti judicio optimus judicatus Herodem ſceleris arguit. Novi Summonti eos, qui benè, ac juſtè vivunt, qui caſtigant turpia, patere ſemper malorum morſibus. Quæ crimina Socrati non tributa ſunt. Dominum noſtrum, Petrum, Paulum, Boetiũ, Ariſtotelem; falſi teſtes accuſaverunt. Joannes ille idem heros, & monſtrorum, hoc eſt vitiorum domitor, inſaniæ inſimulatus eſt. Ait Hieronymus: caſtigans crimina factus ſum criminoſior. Ideò ne vera tacebimus, quia timemus ne falſa nobis obiiciantur? Uſque adeò ne conſenuere ſæcula, & hominum ingenia, ut aliquibus ex noſtra Minerva dicere, aut facere nequeamus? An nobis non licebit, niſi per alienos calles, & per aliena veſtigia incedere, aut noſtris oculis videre, noſtris auribus audire, ſed alienis? Magnos, & excellentes viros fuiſſe veteres, ut qui amator ſum, & admirator antiquitatis non negaverim, ſed tamen homines. Tantum ego tribuo humanitati, & facilitati tuæ, Summonti, ut ſperem à te dari veniam audiẽti aliquid mihi arrogare. Quintilianus inquit, illa glo-

ria

ria Romanæ togæ. Si noſtra vidiſſet, elegantius, politius, ornatius, copioſius, & magis Latinè, magis Romanè dixiſſet, & dicendi ſubtiliſſima, & copioſiſſima arte confutaſſet: concedo hæc, & plura, ſi velit Valla: ſed per deos, ut mihi perſuadeo, non verius, aut eruditius, aut melius, aut ſcripſit, aut vixit. Nōdum enim orthodoxam Chriſtianam philoſophiam, nondum Ariſtotelem, hoc eſt, parentem ſapientiæ Latinitas noverat. An medicorum præcepta negligemus; quoniam ægrotantium plurimi rebelles, & contumaces ſunt. An ideo philoſophia morborum animi medicina abiicienda eſt, aut vitia non deteſtanda, quoniam offenſum iri aliquos putamus? Amicus Socrates, amicus Plato, ſed ſanctius eſt veritatem præferre, & amicitiæ, & potentiæ: quoniam veritas Deus eſt. Et in ſacris codicibus, pro anima tua ne confundaris dicere verum. Ibidem: Uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Optarem ſi qui mea lecturi ſunt, quod viderint primo divinam Scripturam. quæ fons eſt ſalutis, & benè beateque vivendi forma. Deinde Platonica, & Ariſtotelica dogmata. Deinde explicent omnes vires ſuas in expugnando Galateo, & ſi non mea virtute, fortaſſe adverſariorum ingeniis

famam adipiſcar. Nonnullos hoſtium virtus, claros fecit etiam victos. Laudatur Hannibalis virtus, non minus apud Carthaginem victi, quàm apud Cannas victoris. Hic prudens, at non ſine hoſtis culpa vicit: Ibi non ut ignavus ab invicto hoſte victus eſt. Non eſſe bonum medicum, aut bonum oratorem, inquit Ariſtoteles, eum qui voto ſuo potitur, ſed eum qui ex contingentibus arti ſuæ nihil omiſerit. Omnibus in rebus non eventum, de quo fortuna judicat, ſed animum, & induſtriam ſpectant ſapientes. Ignotus eſſet Antæus, ignotus & Patroclus, niſi cum fortioribus pugnaſſent. Turpe quidem videtur vinci iis, qui pervicacis ſunt ingenii, fateor: ſed interdum cum potentiore, aut ſapiente contendiſſe decorum eſt. Qui ratione vincitur, non victus vocari debet, ſed victor. Pœnam ignorantiæ eſſe cenſet Socrates didiciſſe, quæ quis neſcierat. Non ſecus ac ſi quis ægrotus ratione victus, & perſuaſus à medico ſanitatem conſequatur: quæ tantùm animi ſanitati cædit, quantum corpori anima præſtat. Eſt enim ignorantia morbus animi teterrimus, quæ omnium morborum parens eſt, & nutrix. Idem ille modeſtiſſimus pollicebatur, non obſcurum eſſe eum, à quo ratione victus eſſet, ſe ab illo beneficium maximum acceptu-

turum.

Certè Galateus non is eſt, qui nec vinci, nec refelli patiatur: noverunt, qui mecum verſati ſunt, teſtor conſcientiam meam ſæpe me ex ſententia dimovere indoctiores, & vetulæ. Nefas putavit idem Socrates, nedum contradicere, aut ſuccenſere, ſed vera dicenti non aſſentiri, idem quod falſa dicenti aſſentari, quorum utrumq; perniciosiſſimum eſt in vita, Sed ut in cæteris rebus, ſic & in perſuadendo non nihil juris habet fortuna. Eſt ex hierographia ſententia ſimplex quidem, attamen veriſſima: Dives locutus eſt ſuperbè, & juſtificaverunt illum: humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur. Loquutus eſt ſenſatè, & non datus eſt ei locus: dives loquutus eſt, omnes tacuerent, & verbum illius uſque ad nubes perducent. Pauper loquutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubvertunt illum. Nec minus peccatum eſſe ſentio, veritati non aſſentiri, quam veritatem non tutari, pro qua defendenda tot Martyres Chriſti, tot Prophetæ, tot Philoſophi mortui ſunt. Sed ego nolui, ut dicunt, potius culpam deprecari, quam culpa carere. Profectò non poſſumus culpa carere, niſi aliquid non ſcribamus: & quantò veriora ſcribimus, tantò magis obnoxii ſumus ad culpam deprecandam. Odioſa enim, ut dicunt, ſuapte natura eſt veritas,

imò potius noſtra culpa. Novi te æquum, & mitem, non ſeverum, aut tetricum in cauſis amicorum. Quapropter tuì ſit arbitrii omnia noſtra aut oculere, aut oſtendere, ant caſtigare, aut ſervare, aut ſpongiæ donare, aut Vulcano fabrorum, & emendatorum ſapiẽtiſſimo, ſi pro re mea tibi videtur: nec putes me de me tam magna ſentire, ut cum Propertio dicam, tam doctę periere tabellæ. Ego jocatus ſum tecum, ſcis enim quantum mihi placeat illa Socratica ironia Cognovi culpam meam, quam ſatis ſuperque deprecatus ſum in epiſtola, quàm ad te ſcripſeram. Eam ſi legeris, eo animo quo ſoles mea, vici, abſolutus ſum: tacitis, & futuris quæſtionibus reſpondere: & diluere ibi conatus ſum errorem meum, ſi error dici poteſt, vera pronunciare. Quem errorem, qui arguet, ſciat ſe Galatei verba, non mentem, aut mores arguere. Non ego, ſed tenuis vapulat umbra mea. Verbis atrocem fuiſſe Marcum Catonem, inquit Livius, moribus autẽ mitiſſimum, & hoc quoq; Græcis imputat idem Livius, lingua quàm factis eſſe ferociores. Bene vale. Callipoli, pridie Idus Decembres.

ANTO-

ANTONIVS GALATEVS
BELLISARIO AQVIVIVO
Neritinorum Duci.

NE ſis expers meorum ſcriptorum, Illuſtris Vir, ſæpe in Libellis meis appellaberis. Quaniam ſemper ſolitus es, meas eſſe aliquid putare nugas, in præſentia nihil occurrit: niſi ut ſententiam meam de armorum, literarumque, & de contemplativæ & activæ vitæ dignitate, quam Prancratio noſtro olim ſcripſeram, tibi quoque impartiar: tu qui & arma, & literas noviſti, poteris melius aut laudare, aut refellere ſententiam, ut qui utriuſque peritiam habes egregiam. Eum optimum Judicem putavit Ariſtoteles, qui earum rerum, de quibus judicium ferre voluerit cognitionem habet. Eam ob rem exiſtimo humanis in rebus tam varias eſſe opiniones, atque ſententias, quod aut nemo, aut pauci admodum id de quo judicant ſatis cognoſcunt. Quod ſi huic malo accedat, ut quæ quis neſciat ſe ſcire pertinaciſſimè, Orbem pervertit. Duplex ab Ariſtotele

tele

Digitized by Google

tele ponitur ignorantia, negationis altera dicitur, quæ non adeò prava eſt, altera malæ diſpoſitionis. Hæc eſt de qua nunc loquor. Hęc
nos deteriores, hæc indociles, & protervos facit, hæc peritiores contemnere, hæc noſtra laudare, aliena deſpicere. Secus tu Vir illuſtris, & integer, & optimo, atque humaniſſimo ingenio prædite utramque enim rem, de qua eſt quæſtio ſatis cognoſcis. Litterarum enim ab ineunte ætate ſtudioſiſſimus, & amantiſſimus ſemper fuiſti: atque eos, qui in aliqua doctrina præſtare tibi viſi ſunt, maximo ſemper honore proſequutus es. In re bellica quantum valeas, omnes noverunt, in bello Gallico virum fortem ſemper egiſti. Ferdinandum Regem extrema per omnia [ut ait Poeta] ſequutus es. Unde inter Regni Proceres magnam gloriam es adeptus. Quapropter Ferdinando mortuo, Federicus Rex te ob ingentia merita tua pulcherrimæ, & celeberrimæ urbis Neriti titulo decoravit. In bello Veneto apud Sallentinos pene puer ſub fratre tuo [qui ætate noſtra & armorum, & litterarium gloria pollet] militaſti: atque ita te geſſiſti, ut facile omnes cognoſcerent, te nihil degeneraſſe à paterna, atque avita virtute. Pater enim tuus Julius Dux fortis, & ſtrenuus, & tam Italis, quam Barbaris notiſ-

ſimus,

ſimus, omnes ætatis ſuæ Duces armorum gloria ſuperavit, glorioſamque vitam honeſtiſſima morte inſignivit. Quando à tot Turcarum millibus circumſeptus, pro Chriſto, proque ſuo Rege non procul ab Hydrunto fortiſſimè dimicans ceſus eſt. Quamobrem magnanimus ille Heros corporis, & animi viribus inſignis Chriſti Martyr, & Fratri tuo animæ meæ domino, & tibi, totique familiæ veſtræ tam pulcherrimi facti perpetuam memoriam omni auro, omnibuſque gemmis pretioſiorem hereditatem reliquit. Tranſeo tuorum laudes inclytas. Neque enim hac de re nunc agitur: hoc tantùm ex his, quæ dixi, velim intelligas, quæ ſicut nihil lucri, ita nihil damni ex lata mea ſententia reportabis. Nam ex illa nec victor, nec victus eris, ſi alterutra pars vicerit, neceſſe eſt, ut in altera ſuccumbas, ut qui utriuſque ſimul es particeps. Et quoniam antiſtrephon, ſeu reciprocum eſt hoc argumentationis genus, concludendum ut libet, aut victor ſimul, aut victus eris, aut neque victus, neque victor, aut partim victor partim victus. Securus igitur lege, & lauda ſententiam, nec refelle. Novi ingenium tuum, quoniam parvo labore, ſi velis, potes refellere: Nam nihil eſt tam difficile, quin dicendo fiat probabile, & nonnulla, ut ait

Ariſtoteles, falſa ſunt probabiliora veris; præcipuè cùm inter præclaras res ſit controverſia, & multitudinem prò Judice habemus. Cui ſæpe divini Poetæ [ut ait Plato] Sapientiæ duces necnon, & Rhetores populares ſapientes plerumque ſerviunt. Vale felix.

ANTO.

Digitized by Google

ANTONII GALATEI AD ACCIUM SINCERUM Sannazarium,

DE VILLA LAURENTII VALLÆ.

APUD Nicetam ſum, mi Acci, hoc eſt ad ripas Iönii. Acroceraunios montes æmula cœlo juga perſpicio. At tu felix hinc Veſuvium, hinc Hermũ, illinc Capreas, illinc Athenæum, & illum Cratera ocellum terrarũ. Ah Mergelline, ah Pauſilypon, ò ubi eſt ille Piſcator, qui mihi canat per amænos ſcopulos docta illa, quæ nuper ipſe fecerat, carmina? O ubi eſt ille villicus Mergellines? occurrit mihi ſæpe imago illius agelli. Is eſt villa noſtri Vallæ, in aprica valle ſita, ad montem affixa, ſeu potius appenſa. Villa difficilis eſt aditu, à monte non potes ſine periculo deſcẽdere, niſi aut voluturi, aut turbinari velis, A mari præruptæ rupes ſunt, inacceſſibilis eſt locus, etiam ipſis Piratis. Occulti ſunt tamen, & præcipites calles, quos tantum furax, & famelicum hominũ genus piſcatores

nove-

Digitized by Google

noverunt. Infra villam ſinus eſt, quem duo acroteria faciunt. Tanta eſt, ut rectè dicere poſſimus, eam vix ampliorem eſſe epiſtola Laconica, & illud Poetæ,

Sed rus eſt mihi majus in feneſtra,

Ambitus totius ſinus ab altero in alterum promontorium unius ſtadii eſt, ſed nõ quod Hercules apud Piſas menſus eſt, ſed quantũ ego, qui obeli ſum corporis, uno ſpiritu citato gradu pertranſire poſſim. Sinus emporium eſt piſcatorum, capit biremes ſeptem, biremes tamen avidas, non eas, quæ in ſingulis tranſtris binum habent remotum ordinem, ſed quæ ex utraque parte ſingulos habeant remos: poſſes ſi velles lintres appellare. Villæ maxima longitudo à promontorio in promõtorium eſt: latitudo quanta ipſum Vallam dormientem capere poſſit, [eſt enim pinguiuſculus] neque hoc ſine periculo. Nam ſi incautus inter dormiendum ſe in alterum latus volverit, niſi aggeres, aut repagula ſint, Valla apud Neptunum Deus fieret. Villa quãdo bonus eſt proventus tritici, ſemodium fert: itaut Vallæ una pro horreo poſſit eſſe cucurbita. Vini, quantum convivæ, qui nõ ſint nimis combibones, neq; ſuperent numerum Muſarum, uno ſyphoſio abſumere poſſint. Roſas, violas, hyacinthos, narciſos, amaranthos,

thos, & omnis generis flores odoratos gignit: Sed tanta copia eſt, ut neque uni puero ad corollam ſatis ſint, neque medio apum examini ad pabulum. Fructus præſtantiſſimi ſaporis, ſed qui una ciſtella condi poſſint. Uvas paſſas non abſimiles Maſſicis tuis: tantaque eſt feracitas beati ruris, ut nunquam impleat ſex convolvula, ſeu iuvolucra ficulneorum foliorum, quibus è montibus Maſſicis, hoc eſt, avita proavorum tuorum ditione deferũt illas ſuaviſſimas uvas paſſas, quas ſæpe mihi in ſecundis menſis ſervuli tui appoſuerunt. Infra villam antiqua ſunt excavatis montibus vivaria: Sed adeò exhauſta ex illo tempore ſunt maria, ut vix unum ſenem piſcem invenias: Juniorum turba maxima: Piſciculi minuti quingenti vix libræ pondus faciunt. Nec dubitat noſter Valla, inter villæ ſuæ cætera bona, quotidie nobis polliceri tantum piſciũ, tantumque cymbarum: Felix villa, mare habet proximum, ſed quia non ſine periculo deſcendere potes, remotiſſimum: montem arduum, & inacceſſum & invium: planum habet quidem, ſed qui duos viros ad deambulandum recipiat. Villa in auſtrum verſa, ſolem orientem accipit. Prima villarum prodromos Etheſiarum flatus, aut Tropeas admittit, ubi Apogii ſemper ſilent. Prima ſentit

vernos

vernos Zephiros, limpidos, ac recentes, ut è mari prodeunt, nec urbis craſſo aëre, & nidoribus vitiatos. Tanta ſoli fæcunditas, cœlique temperies eſt, ut nemo ibi unquam moriatur, quoniam ibi habitare nemo poteſt. Nuper quum villicum Valla conducere vellet, hæ conditiones ultro citroque datæ ſunt. Villicus, villicaque rem ruſticam probè, ac ſtrenuè agunto. Dominum quamvis mitem, manſuetique ingenii timento, venerantorq; Fruges ſervanto. Arma ruſtica ſuis locis, ſuoque ordine diſponunto. Dolia cum bonus eſt vindemiarum proventus optimè ſecundum legem picanto. Menſas, vaſa, ſupellectiliaq; omnia fideliter, ac mundè, ut bonum virum, bonamque mulierem decet, cuſtodiunto. Rem divinam diebus tantùm feſtis, ut cæteri boni coloni, faciunto. Aves, mures, ac fures arcento. Neminem injuſſu domini villam ingredi ſinunto. Contraq; Valla Medicum chirurgicum conducito, ut ſi quod ex precipitio membrum luxatum fuerit, aut fractum villico, aut villicæ, aut pueris, Valla impenſas omnes adminiſtrato, curatoque, ut benè ſit villico, villicæ, ac pueris. Præterea Valla funes emito, quibus villica pueros ſuos medios ligare, ut porcellos poſſit. Is enim mos eſt apud Thurios, ac Materanos, qui in precipitiis,

tiis, & cavernis montium ut Troglodita vitam aguut. Multæque hujuſcemodi adjectæ ſunt conditiones. Multaque præterea ſunt feracis, ac ſalubris villæ bona: hoc tantùm mali eſt, quod villa [neſcio quamobrem] nullum habet aditum, nimirum virtuti nunquam aditus, malis ubique patent fores. Solus tuus, meusque heros Federicus virtutis cultor hunc aperuit aditum. Dedit Vallæ ſemitam per mediam Mergellinem, qua ſe in villulam ſuam, recipere poſſet. O felix Valla, cui ſatis eſt parva villa, non tibi placent Licinii campi, non Apuliæ lata rura. Solus in tanta turba craſſantium philoſophicos ſapis mores qui nec verba vendere, nec mentiri noviſti. Felix, & quiſquis contentus parvis, minora deſiderat. Prodigioſa [ſi verum fateri velimus] res eſt, humana mens, quæ in tam parvo ergaſtulo clauſa, non poteſt ipſis mundi finibus contineri. Magna poſſidet, majora deſiderat. In infinitum abit iſta cupiditas, quodque naturæ negatum eſt, ipſa ſibi falsò promittit.

Tèlos.

M ANTO.

ANTONIVS GALATEVS
IN ALPHONSUM REGEM
Epitaphium.

INferias tibi dive Alphonſe facio, tumulum erigo de puro ceſpite, fingo inane ſepulchrum, inſtauro funus, cineres, & manes condo [altera enim pars jam ſuperos tenet] arenam aggero quantum altiſſimè poſſum, in hac ripa Iönii maris, in hoc viridi campo, in hoc angulo terrarum, quem tu à barbaris tutatus es. Impono tumulo lapidem, in quo ſi quando ad hæc deſerta littora fortè acceſſerit, & nauta, & viator, legere poſſit hæc pauca verba: Alphonſus ſecundus Apuliæ Rex, Ducum fortiſſimus, ex antiqua Gothorum Hyſpaniæ Regum progenie, hìc ſitus eſt. Vixit annis XLVII. D XIIII. D. M. S. Alii tibi, quòd maximè meritus es, in illuſtri loco ſtruent Mauſoleum: at ego quid poſſum, juxta perſolvo. Prætendo tibi pullam veſtem, promiſſam barbam, fundo pias lachrimas, fletus, nænias, lucubres voces, & veros, quos è cœlo

audias

audias gemitus : & verba incompoſita : ſed teſtantia gratitudinem animi mei, ob accepta à te beneficia. Erunt qui tuas laudes carminibus [ut par eſt] in cœlum tollant, mihi fas ſit monſtrare affectum, & merorem meum, & inter has ſylvas, inter hæc dumeta : ubi rara ſunt hominum veſtigia : inter Satyros, & faunos, inter Dryadas, & Napeas, quarum ſtudio tenebaris, quandoquidem, ut & fortunam, ſic & homines immemores beneficiorum, infeſtos habuiſti. Liceat incuſare deorum ſevitiam, qui te terris invidere, qui te nobis abſtulerunt. Proh dolor! noſter Alcides, noſter Achilles, decus Italiæ, Turcharum terror, noſtrum Aſylum, refugium calamitatum noſtrarum Alphonſus obiit: quinimò ad ſuperos abiit, nos miſeros reliquit. O' quoties Alphonſum invocabimus Utinam ſim falſus vates. Italia, imò tota Chriſtianorum reſpublica ſentiet quantus fuerit ille, inviſus inſanæ fortunæ Alphonſus, quæ ſæpe bonis invidet, malos extollit. Quot tyranni diu imperaverunt, quot boni, & utiles reipublicæ principes citò extincti ſunt. Achillem Græcorum gloriam, ęternis carminibus celebratum: Alexādrum illum Macedonem domitorem Orbis Titum delicias humani generis: Alexandrum ſanctiſſimum princi-

 pem

pem Romanum cita mors abſumpſit. Ego lugeo, ego deploro obitum tuum Alphonſe. Tu inter divos vitam agere beatam cæpiſti, jam rides ſtultitias, & vanitates humanarum mentium, & futuri præſcius temporis, perſpicis, quantum chriſtianus orbis tibi ſe debere ſuo malo fatebitur. Jam nunc habitas eam cœli partem, qua locus Erigonem inter chelaſque ſequentes panditur. Ipſe tibi jam brachia cōtrahit ardens Scorpios. Hic Oriens te mundo edidit hæroa fortiſſimum, cautiſſimum ducem juſtiſſimum principem, ſed nō ſatis fortunatum. Hic te ſuo Marti dedit, vix tertium decimum ætatis annum agentem; apud Brutios primum galeam, loricam, thoraca induiſti, in illo heu fatali tibi bello Gallico, quo Ferdinandus pater tuus vexabatur. Qui ut diis viſum eſt, Gallos è regno ſuo repulit; tibi cætera deinde bella commiſit. Cognovit rex omnium ſententia ſapientiſſimus judicatus virtutem tuam. Juvenis adhuc, victis in agro Piceno hoſtibus, triumphaſti: in bello Hetruſco, in bello Ferrarienſi, quantum in re bellica valebas oſtendiſti. Quid dicam de illa memorabili Hydruntina expugnatione? Quid de bello Turcarum, in quo & patri tuo regnum & Italiæ libertatem, & Chriſtianis omnibus, [illegible], ſalutem propria

virtu-

virtute tribuiſti? Cùm Regni proceres in patrem tuum conjuraverunt, tu finibus extorris expertus extrema omnia, undique auxilia comparaſti. Tandem victor, rebelles omnes patris tui imperium ſubire coegiſti. Deinde mortuo patre tuo, exitiale Italiæ [ut fato datum eſt] bellum Gallicum contra te motum eſt: nulla injuria, nulla, aut tua, aut partis, aut majorum tuorum culpa, ſed Italiæ vitio. Liceat mihi petita ſacræ parentis venia ad leniendum dolorem meum paululum inſanire. Non eſt hæc illa deorum mater, mundi domina, terrarum caput Italia. Hæc in ſui perniciem Gallos accivit. Illi Alpes, ſaluberrima, ſi nobis bonā dii mentem dediſſent, Italicæ libertati juga tranſcenderunt, ſeu noſtro fato, ſeu noſtris moribus, ſeu quoniam Gallorum animi novarum rerum ſemper cupidi, & ingenium ſuapte natura avidum ad bella capeſſenda, percurrunt Italiam portis ubiq; patentibus. Pudet dicere, nullo uſquam occurrente hoſte, jam jam regnum tuum invaſuri erant. Tunc viſæ ſunt noſtrorum volubiles, & inſciæ ſui mentes fluctuare, & nova juga optare, ut vetera deponerent juſſa aliena pati, & dominos expoſcere Gallos. Tu qui immaniſſimam & efferatiſſimam Turcarum gentem, nō horrueras, nec Gallos

timuiſti. In illo bello, non niſi externos hoſtes habuiſti. In hoc plus tibi cui nocuere quàm hoſtes. Ceſſiſti Gallis pro tempore imitatus bonos nautas, qui cum ingruentem tempeſtatem ſentiunt, nunc latere fluctus excipũt, nunc puppi, nunc prora, nunc enituntur, nunc cædunt, & quò fluctus, ventuſque trahunt, ſequuntur, ut demum ſedato maris tumultu, felicem curſum arripiant. Ceſſiſti Gallis majora animo volvens, expectans dum rapaciſſimus fortunæ impetus ceſſaret. Unus tu nobis cunctando, ut reſtituas rem. Jam eò redacta res erat, ni te immatura mors rapuiſſet. Sunt qui in armis mori pulchrum putant: mihi placet illa Demoſthenis ſententia: *ànìr ò pheugon che palin machìsetus*. Quidam ex progenitoribus Alphõſi noſtri Hiſpaniæ regibus, cùm victus incuſaretur, quòd non deceret regem fugere, ſed potius honeſtè mori, reſpondit: ſe cum majori, & meliori exercitu, mox rediturum. Peripatetici, ne in maxima quidem calamitate moriendum eſſe ceſſent. Temerarii hominis eſt velle mori, ne moriatur. Moriendum fortè eſſet perditis penitus rebus, cum nihil ſpei penitus ſit. Romani, capta, & incenſa à Gallis urbe, ſe in tuta loca receperunt, nec obſtiterunt fato urbis Romæ: tandem & ipſos Gallos, & totum orbem

orbem ſubegerunt. Paulus in Cannenſi clade, cùm fugere poſſet, ab hoſtibus oppreſſus eſt, & hoſtibus gloriam peperit, quòd Romanum conſulem occidiſſet. Terentius à ſenatu laudatus, quòd de republica nõ deſperaverat. Romanæ legiones ad furcas Caudinas neceſſitati parere coactæ, ſub jugum miſſæ, fortius deinde pugnaverunt. Actum eſſet de Re Romana ſi obiiſſent. Athenienſes oraculo moniti urbem ſuam Perſis reliquerant, & aliam, quam in terra fortunam in mari experti ſunt. Lacedæmonii verò ad Thermopilas ſtrenuè pugnantes occubuerunt. Illi fugiendo univerſæ Græciæ ſalutem: hi moriendo inanem tantùm [ut ita dixerim] gloriam, & in tragediis lamentationes ſibi comparaverunt. Rex regum Darius fugit juvenem ferocem, & primis fortunæ flatibus exultantem. Viſum eſt potentiſſimo regi, & fortunæ cedendum, & ſerviendum eſſe tempori. Pompejus magnus poſt tot claras res geſtas, victus à Cæſare, fugit in Ægyptum, & pejorem hoſpitem, quàm hoſtem invenit. Cato ille ſeverus, & ſibi crudelis, nec mori timuit, nec fugere, victrices partes recuſavit. Victus Hannibal ſuam Carthaginem, in hoſtium poteſtatem deſervit, aufugit in Aſiam, nec turpe putavit ignotis regibus ſervire, nova contra

Romanos reparaturus bella. Ne longè exempla petantur, Divus Alphonſus Aragonum, & primus Apuliæ rex, avus Alphonſi noſtri primum regno pulſus: deinde navali prælio victus, & captus ad Philippum Mediolanenſium ducem ductus eſt: & iis in quorum poteſtatem devenit, non fractus animo admirationi habitus eſt: ad poſtremum victor evaſit, & longo tempore tam feſta pace, tam gaudente proventu rerum regnavit, ut verè dicere poſſimus quod aurea illo ſub rege fuere ſecula: *Sic placida populos in pace regebat*.

Ejus filius divus Ferdinandus acie victus, ad Sarni fluenta, exutus caſtris, cum paucis Neapolim ſe recepit: Inde paulatim reparatis copiis, hoſtes apud Trojam Apuliæ civitatem ingenti prælio fudit. Demum, aut mortuis, aut profligatis hoſtibus diu feliciter regnavit. Manfredus Rex, qui ſe, ſuumq; regnum fortunæ incautus commiſit, una acie, & regnũ, & vitam amiſit. Hujus cadaver per caſtra hoſtium circumlatum, & hoſtibus ludibrio, & à ſacerdote, neſcio quo, diris execrationibus diis inferis devotum fuit, & pulſum ultra fines regni, relictum avibus, & feris laniandum. Conſtantinus Græcorum, ſive Romanorum Imperator, Turcis in urbem irruentibus, ſe in mediis hoſtibus morti devovit: quo

facto,

facto, & ſe humanis curis, & calamitatibus, & hoſtes metu liberavit: ſibi conſuluit, ſuis, & Chriſtianis omnibus ſpem recuperandi imperii ademit. Si ſe ſervaſſet, fortaſsè Deo & Chriſtianis principibus auxiliantibus, in ſuū imperium rediiſſet. Forti viro omnia tentāda ſunt, priuſquam, ut Poeta ait, moriatur. Qui citò moritur, hoſtibus victoriam parat, & cum fortuna non audet luctari. Numantinorum, Saguntinorum, Cantabrorum, & aliorum quorundam barbarorum decantata facinora, uxorum, & liberorum neces, pyræ, laquei, venena, gladii, non fortitudinis indicia, ſed exempla ſunt tragica, & barbaricam ſapiunt amentiam, & immanitatem. Secus Carthago, illa imperii Romani æmula, poſt tot de Romanis acceptos triumphos fatorum neceſſitati paruit, in ditionem Romanorum venit, & ſervire potius maluit, quam penitus deleri. Orthodoxa Chriſtianorum dogmata eos, qui ſuæ necis cauſa ſunt, qui projecerūt animas, qui ſeipſos interimunt, honore ſepulturæ arcent inhumatos, antequam profanos abiiciunt: quod apud omnes gentes eſt, & fuit ſemper abhominabile. Illud:

Pulchrumque mori ſuccurit in armis.

Et illud. *Moriamur, & in media arma ruamus,* Verba poetica ſunt, & vulgò admiranda. Qui

eā ceci-

ea cecinit, Brunduſii in lectulo morbo interiit: & is ſub cujus perſona hæc dicta ſunt, mulierculæ fabulam narrabat, & tamen jactabat ſe *Medioſque fugam tenuiſſe per hoſtes:*
Qui deſerta patria Italiam profugus venit:
Genus unde Latinum,
Albanique patres, atque alta mœnia Romæ.

Si in armis, ut prædicabat, mori voluiſſet, ſi quod promittebat effeciſſet, nec Roma, nec Alba ſtetiſſent. Quoties vidi ego te Alphonſe, his oculis apud Hydruntum inter primos pugnatores immixtum Turcis, vidi ego te pro muris armis ſplendentem, impavidum inter lapides, inter ſagittas, inter tot tormentorum genera acriter pugnantem. Nunquam declinaſti pericula: prudens, ſollicitus, impiger, ſtrenuus, ferox, caloris, frigoris, vigiliarum: laboriſque patientiſſimus, & ubi res, tempuſque poſcebat, nullis non periculis ſemper te, quantum nemo ex ſtipendiariis militibus expoſuiſti: vidiſti exercitum tuum continuis itineribus, & tempeſtatibus ante hoſtium advẽtum jam fractum, quoſdam ex tuis nõ ſatis fidos: non tuæ igitur, ſed tuorum ſaluti, ut bonus Rex, conſuluiſti. Sapientis viri eſt, & vires ſuas penſitare, & quo ſe fortuna inclinet cognoſcere. In proverbio eſt: Decertare, & vinci nemo non poteſt. Invidebat virtuti

tuæ

tuæ Italia externos admiſit : tu inexplicabilem invidiam haud alio modo vinci poſſe, quam cedendo exiſtimabas . Ita res evenit, ceſſiſti , ceſſavit invidia, omnis in auxilium Ferdinando tuo convenerunt. Ille acer , ille inclytus juvenis, & terrarum imperio dignus, jam regnum tenet cum patruo, imò cum patre ſuo Federico, viro & bello, & pace inſigni, qui imitatus eſt exemplum ſanctiſſimi regis divi Ferdinandi proavi ſui, qui nepoti ſuo regnum tam bonâ fide ſervavit, & auxit. Sed neſcio an fas ſit dicere: Hic illum pietate ſuperavit: ille pacato, hic everſo penitus regno, nepoti ſuo ſubvenit patria, uxore, liberiſque relictis. Ohe jam vertit fortuna ſuas vices, jam regnum tenet, & quod felix fauſtūq; ſit, tenebunt: & nati natorum, & qui naſcētur ab illis. Tu verò Alphonſe dive, cum cæteris diis, & illis, & nobis ſemper dexter aderis. Sed quis eſt hic ululatus, quæ ſunt illa ſuſpiria, ſolus ſum, & in ſolis locis, tamen reſpondent omnia ſylvæ: Nymphas ululaſſe ad meos fletus puto, quas tu coluiſti. Plorate mecum Nereides, & tu non immemor antiqui doloris mater Theti, quæ hæc Adriatica æquora colis: meminiſtis & vos nymphæ vidiſſe has undas Turcarum ſanguine rubentes , quum Neptunus tridente ſuo barbaram claſſem

agitans

agitans Italiam ſervavit. Teſtantur hæc litora, teſtantur hi ſaltus: en omnia candicant oſſibus. Plangite Napeæ, & Najades puellæ, & tu qui tam longè abes Sebethe pater deliciarum, qui apricos, & ſemper florentes lambis campos, cui notus, cui tam gratus eras. Quis te ditavit? quis te excoluit? quis te novis honoravit arboribus? cui magis placebant fontes, & prata virentia, & nobiles horti? Non ille carminibus poetarum cantatus Alcinous, non Heſperidum horti tecum, ò Alphonſe, certare potuiſſent. Qualis eras in extruendis arcibus, qualis in inſtaurandis templis, qualis in ornandis domibus, qualis in omni regio apparatu omnes noverunt. Omnes nobiles ſculptores, pictores, architectos, omnes denique artifices ex tota Italia, imò ex toto orbe, in regnum tuum magnis & muneribus, & sũptibus contraxiſti. Bibliothecas ex omni genere librorum comparaſti: quales nec Ptolemæos habuiſſe crediderim. Illuſtriũ virorum, quorum mores admirari, atq; imitari ſolebas, etiam imagines venerabaris: duces, milites, præfectos navium, non auſim dicere quanto amore amplexatus es: poetas, oratores, legis peritos, philoſophos, religioſos, & privatæ vitæ viros, theologos, medicos, ſemper ut parentes coluiſti: deniq; ubicunq;

terra-

terrarũ fuerat vir, qui ingenio valeret, ſubitò in tua retia incidere cõpuliſti. Quid dicam de cultu, & pietate erga Deũ immortalẽ, de pietate, & reverẽtia erga parentes: nõ fuit vir qui ſanctiùs Deũ coleret. Nõ fuit filius magis obſequẽs patri, quàm Alphõſus: nemo filios, nemo fratres, nemo amicos, nemo fœderatos cõſtãtiùs amavit. Dii immortales, quid illi profuit tam diligens religio? quid pietas erga parentes? quid muſarũ cultus? quid recti obſervãtia? quid benignitas? quid comitas? humanitas, & facilitas, qua cęteros principes ſuperavit? quid tot animi virtutes? Profectò, ut dicũnt, quando bona opera nũquam cerent ſua mercede, hæ tibi Alphõſe cęlum dederunt, te deum fecerunt. Te igitur divum appello, tibi fictatus procedo, tibi aram ſtatuo, & tuum ſupplex numen adoro. Tibi ſacra, tibi divinos, ut cęteris diis honores offero: tu lætus accipe, tu exaudi præces meas, & votis jam nũc aſſueſce vocari. Ego quod poſſum Alphõſe offero ad tumulũ ardẽtes tędas, odoratas lauros, myrtos, & cupreſſos benevolentes, ex vicino tractu herbas. Tibi flores ſpargo, roſas, violas, hiacynthos, & immortali tibi imortales amaranthos: nec deerunt poſthac qui incedant ad aras benemerẽti tibi Indicos, & Arabicos odores. Vale æternum Alphonſe, & deos nobis deus ipſe propitius facito.

AN-

ANTONIVS GALATEVS UGONI MARTELLO EPISCOPO Lupyenſi.

DOrmientes, & languentes, ne dicam mortuas per multa ante ſæcula in Italia ob crebras Barbarorum invaſiones, litteras, & humanitatis, & medicinæ ſtudia, majores veſtri, ut veſtri Poetæ verbis utar, excitaverunt. Hoc beneficium veſtra Civitas latinitati præſtitit, Græcas quoque literas Florentini, vel primi, vel præcipui in Italiam invexerunt, colueruntque, qui fuerunt pii ſatis multa, ut ſcis alibi diximus, quæ ſemper Florentiæ floruere florentiſſima ingenia, nec tempeſtate hac deeſſe exiſtimo. Eſt enim cœlum urbis veſtræ tenue, & ferax præſtantiſſimorum virorum, ut dicunt de Actico. Novi ingenia, dexteritatem, acuitatem, ſolertiam, humanitatem, elegantiam, jucũditatem, affabilitatem, urbanitatem, & ut Græcè dicam eutrapeliam Florentinorum, ante, & poſt tranſitum Turcarum in hanc oram Italiæ. Sunt anni fermè quinquaginta, quibus ego con-

conſuetudinem, & amicitiam habui Florentinorum, & eorum, qui Lupiis morabantur, & eorum, qui in Orientem proficiſcebantur; quorum nonnullos novi ex claris ortis familiis, Medices dico, Martellos, Strozios, Acciajuolos, Petrucios, Avanzatos, Rodulphos, Nobiles, Baruncellos, Scarlatos, Cardụcios, Altovitos. Senex ſum, & diù inter Italos, & exteros verſatus, Neapoli præſertim coram tot Regibus; fateor, me nullam gentem noviſſe, quæ Florentinos ſuperaret converſationis, tractabilitatiſque, & morum ſuavitate, & facilitate, & amicitiæ obſervantia, & in amicos, ut ſæpè expertus ſum, prompta beneficiorum collatione; Quid ergo iſta inclyta urbe, & eruditis auribus ſuis dignam ſcribere poſſem Callipoli latitans. Quum ego interrogatus quid hìc agerem à Summontio Neapolitano, viro doctiſſimo, præ manibus ſcribens habebam Epiſtolam, quam ad te micto, ut ſcias me Dei beneficio benè valere, ut ego itidem de te ex tuis literis intellexeram. & te ut ſemper valetudinem tuam cures, & amicus ſuadeo, & rogo; ut Medicus præcipio, Nam non minus Juris habemus nos Medici in corpora quàm vos Epiſcopi in animas hominum, ſcis enim quantum te amem, & venerer, quantoque deſiderio ego, & cæteri di-
ctioni

ctioni tuæ ſubjecti, reditum tuum expectemus: Tu verò compoſitis iſtis rebus tuis, quãprimum ad nos advola, ſin Romæ morari decreveris, ad calendas Octobris, ſi per ætatem, & rerum Italicarum ſtatum licebit, illic me videbis; cupio enim antequam è vita diſcedam, hyemem totam Romæ agere, tecumque Lupias tuas, ſi Deo ita viſum fuerit, repetere. Benè vale. Callipoli XIII. Calend. Februarii.

ANTO.

ANTONII GALATEI

AD JULIUM II. PONTIFICEM MAXIMUM

De Donatione Conſtantini Imperatoris facta Eccleſiæ.

VRbem Romam, quam uſq; ad hanc ætatem non videram, ingreſſurus; diù mecum cogitavi, quid tuæ Beatitudini, immò, & tuo Numini JUL. PONTIF. MAX., ut par erat, offerre poſſem. Nam qui aurum, & argentum, & magnorum Artificum vaſcula, & picta tapetia largiuntur iis, qui ampliora poſſideat, & quibus dare, ut Apoſtolus ait, ſanctius, atque honeſtius eſt, quam accipere, venatores hominum, ut inquit Plato, mihi eſſe videntur. Ego, quæ gratiſſima ſunt, ei, cujus vices in Terris geris, offero munera Sanctitati tuæ,

ſtudioſum animum. Iſti verò tuæ Eccleſiæ, ſolius Mundi alme Parens, & magnitudini animi tui Libellum hunc. Quæ munera ...., ut es, & ut ſemper fuiſti, & ut omnes etiam, qui te oderunt exiſtimant, ſi tantum, & ante & poſt adeptum rei Chriſtienæ faſtigium Eccleſiaſticæ Dignitatis amator, & cultor fuiſti, pluris æſtimabis, quàm omne aurum, & omnes gemmas. Tu enim omnes Principes, & Romanos Pontifices ſuperaſti, aut certè nullis es inferior: Summum enim rerum humanarum, quem tenes gradum, magnitudine excedis tua. Ità pacata ità feſta, pace tranquilla, & domi, & foris ſunt omnia, & omnes fatentur. Te imperāte, ex Cælo juſtitiam rediiſſe. Nemo rem Chriſtianam magis amavit, auxit, coluit, atque in ſuo decore ſervavit, quam tu, & magnus ille Xiſtus Patruus tuus. In hac re, omnes alios Pontifices, procul dubio in altera te ipſum viciſti. Quod ea, quę tua cura, prudentia, & impenſa, non tibi, ac tuis, ut plerique facere ſoliti ſunt, ſed Eccleſiæ Chriſti quæſita ſunt, immò potius reſtituta, teſtatur hic Libellus, quem ex Archiviis Imperatorum è Coſtantinopoli, temporibus Innocentii III., anno, ſecundum recentiorū ſupputationem, à condito ævo ſexies milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, qui fuit

annus

annus ſalutis milleſimus trecenteſimus ſeptimus, retulit Nicolaus Hydruntinus, vir eo tempore doctiſſimus, qui à Philoſophia ad Religionem Magni Baſilii tranſmigravit, atq; Abbas Cęnobii Divi Nicolai apud Hydruntum creatus fuit, & Nicetas appellatus. Ubi plura ingenii ſui monimenta reliquit in Dialectica, Philoſophia, & Theologia; quæ omnia in illa non ſine lacrymis memoranda Hydruntina clade, Monaſterio à Turcis direpto, ac diruto, conflagrarunt, ſimul cum Bibliotheca omnis generis librorum, quod ex univerſa Græcia vir ille magnus congeſſerat, quique ab Imperatore ad ſummum Pontificem, & à Summo Pontifice ad Imperatorem componendarum rerum cauſa ſæpè comeabat. Cum Bibliotheca periit & Libellus veneradæ vetuſtatis; undè nos hoc exemplum habuimus, quod tuæ Sanctitati donare, & tamquã ſuum reſtituere, pium, ac juſtum putavi; & tam fideliter tranſcriptum, ut ſi qua vitio tẽporum, aut Librariorum menda ſint, non auſus fuerim emendare, ne fides rei, ut puto veriſſimæ, abrogari videretur, eadem ratione, nec latinum ſermonem vertere volui. Non deerunt Beatitudini tuæ doctiores Interpretes. Ego Sanctitati tuæ, apud quam mentiri impium omninò eſt: obligo fidem

meam, ità ſe rem habere, ut dico. Libellus pervenit ad manus meas ante adventum Turcarum, eo tempore, quo verſabar cum Stephano Archiepiſcopo Hydruntino conſanguineo meo, qui poſteà glorioſus Chriſti Martyr, una cum univerſo Clero ſuo centum ferè Sacerdotum Turcico gladio jugulatus eſt. Nec me latet, nonnullos eſſe, qui de Conſtantini donatione dubitent; mihi ſemper ea pro certa, & indubitata habita eſt; neque id, ut quidam dicunt, palea eſt, ſed triticum ſeleċtiſſimum. De Vallæ arrogantia dicam, quod de Luciano ſcribit Lactantius, ille nec diis, nec hominibus pepercit, & tamquam ab eo planè omnia benè ſint ſcripta; Ariſtotelem, & Romanam Eccleſiam oblatravit. Guillelmus Occha, ut in Philoſophia, ſic & in hac re pro Sophiſta habeatur: Iuris peritorum noſtri temporis quamplurimi præter ſuas leges nihil noverunt; ſicut Divina potentia ſuperat omnem rationem naturalem, & quæ ad Deum pertinent, tranſcendunt omnes leges, nec potiora videri poſſunt unius Orbis, quam omnium gentium jura. An ignorant, in quanta veneratione apud omnes Nationes ſemper habita fuit Sacerdotii dignitas. Dei ſunt omnia jura Regnorum. Deus Romanis dedit Terrarum Imperium, ut conjuncto Orbe,

nec

nec ut olim in membra diviſo, libera in ſe & gentium conſuetudine, & communitate Dominus noſter Jeſus Chriſtus noſceretur, atq; agnoſceretur. Tu ſtulte vis ſubire legibus unius Urbis eum, qui totius Mundi habet principatum, qui Mundum creavit, & regit, nō potuit tuo, aut ſuo jure, quid donare? ac potius jure optimo reddere, quod Conſtatiuus donaverit, immò potius reſtituerit, conjecturæ à vero minimè diſſentiones non leves ſunt. Nam quo propoſito, quo ſuadente, ille & poſteri Romani deſerviſſent locum Divina Providētia omnium Terrarum Principem ac Dominum, qua cauſa tranſmigrandi, nec amplius redeūdi; rurſus quis auctor, quis modus, quæ artes, quæ arma viros è Judæa profectos inopes, mendicos, ignotos ad tantum Imperium provexiſſent, niſi Romani Principes illis temporibus potentiſſimi, aut juſſiſſent, aut permiſiſſent. Zeno inquit, Conſtantinus veneranda Chriſti fide Romanum munivit Imperium; ſi munivit, legas quomodò. Quis magis munitum, ac diuturnius facere Imperium poteſt, quā cum Deo committit, à quo recipit? Quo Chriſtiana fide Romanum muniſſet Imperium, ſi Summum Pontificem, qui columen eſt, & Caput Chriſtianæ Religionis inopem, ac deſpectum vitam agere paſ-

ſus fuiſſet? At ſi minuit, dicere placet, certè non alium, quàm Summum Pontificem participem Imperii feciſſet; neque id minuere eſt, ſed augere, ac ſtabilire Imperium. Non parvæ inter Principes, & Pontifices Romanos diſſentiones ſæpè ortæ ſunt, & nonnunquam de Imperio, & de Pontificatu competitum eſt. Cur igitur in Archiviis Imperialis Aulæ hoc Syngraphum repertum eſt, nec unquam abolitum, Chriſto veritatem tutante, cum non defuerint poſt Conſtantinum, & Eccleſiæ, & Orthodoxæ fidei infeſti Imperatores? Cur illi ſcrupuloſi, ne dicam impii homines, qui contra Apoſtolorum Principatum plusquàm oportet, ſapere volunt, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non illud idem cæteris Principibus Chriſtianis objiciunt, quorum Reſpublica à feritate ad cultiorem vivendi modum, Romanorum probitate revocata, dici fuiſſe conſtat ſub mitiſſimo, ac juſtiſſimo Romanorum Imperio, ſub Romanis legibus, ac moribus. Cauſſa eſt, ut puto, quoniam Ii plus homines quàm Deum verentur. Quamvis hæc vera ſint, ut Eccleſia affirmat, quæ à Spiritu Sancto gubernatur, ut non dubiis experimentis cognoſcimus; ſi quis tamen his rationibus minimè perſuaderi voluerit illud, ſaltem non poterit negare, totam

rem

rem non ſine Chriſti voluntate fieri potuiſſe, necquiſquam ſanæ mentis putaverit, Satius eſſe ab hominibus quã à Deo accipere, cujus auctore comparantur omnia. Benè valeat Sanctitas ſua, & tamdiù vivas, quamdiù ad Chriſtianæ Reipublicæ pacem, & ſecuritatem à Paganorum gentibus reddat, atque Imperium, & Eccleſiam Romanam per totum Orbem Terrarum priſtinæ dignitati reſtituat.
Iterum Vale.

✠ ✠ ✠
✠

Digitized by Google

ANTONIVS GALATEVS
AD LOYSIUM LAUREDANUM
De laudibus Venetiarum.

SUnt qui in iſta veſtra Urbe, Lauredane vir clariſſime, admirentur ſitus novitatem, & eſt certè admiratione dignum iſtud quod id nulla parte terrarum viſum eſt unquam, aut auditum Videre Urbem [ut ſic dicam] navalem, populoſam, plenam ornatiſſimis viris. Videre illum populum per tot ſæcula in ſua libertate perſeverantem, ac multarum, & longè poſitarum terrarum victorem, maris dominium, tamquam in uno impoſitum Navigio, ingentes domorum ſtructuras, in mediis undis ſumptuoſiſſimas, regio ornatas luxu & apparatu. Tot templa, quibus nuſquam terrarum ſunt alia, aut ſanctiùs culta, aut magnificentiùs ornata. Tot novalia, tantas merces, tantas opes, tum publicas, tum privatas; ut ſingulæ Civium fortunæ poſſint cum Regum Gazis certare. tantos gentium omnium concurſus: verè, ut ſic dicam, in iſta Urbe, in iſto totius

mundi

mundi Emporio, natura poſuit, quidquid ubique fuit; non eſt prætereundum hoc in loco nobile exaſticon Accii mei Neapolitani elegantiſſimi viri, ex antica familia Sancti Nazarii; qui in veſtram Urbem hæc cecinit carmina:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in Undis
Stare Urbem; & toto ponere jura mari.
Nunc mihi tarpejas, quantumvis Juppiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis ait:
Si Pelago Tyarim præfers, Urbem aſpice utramq;
Illam Homines dices, hanc, poſuiſſe Deos.

Mihi, ut & quondam beatis viris Caſſiodoro, & Thomæ, admirabilior videtur iſtius ſancti Senatus Religio, fides, recti obſervantia, ſapientia, virtus, prudentia, tam pertinax concordia, ac Reipublicæ vera, & amore Patriæ, concordia libertatis; diligentia, felicitas, humanitas, clementia, acceptorum beneficiorum grata, & tenax memoria. In victas, & captas Urbes indulgentia, munificentia, magnitudo animorum, externarum nationum tam facilis acceſſus. Accedit ad hæc uniuſcujuſque ingenuæ diſciplinæ, & literarum ſtudium, & quæ has artes ſequi ſolet Fortuna. Jam arma in Italia, & literæ periiſſent, niſi Venetorum induſtria, ac opibus foverentur, unde quod nulli unquam à condito ævo conti-

contigiſſe legimus, per tot ſæcula in veteris legibus, atque inſtitutis, in veſtra libertate, ac multarum terrarum Imperio, permanſiſtis. Diuturnitas enim Imperii, ſecundum Ariſtotelis ſententiam, non dubium ſignum eſt juſtiſſimi veſtri Principatus, veſtræ juſtiſſimæ, ac ſanctiſſimæ Ariſtocratiæ: Miratur Cicero Lacedemoniorum per ſeptingentos annos duraſſe Jmperium, Viris, moribus, & nunquam mutatis legibus. Illi, ut cæteri à parvis initiis in incrementum pervenerunt, & Ephoros, & Reges, & alios experti magiſtratus, ſi non vis Dominos appellare, aut Reges; iſta quidem Urbs, nõ mutato rerũ ſtatu, jam mille, & amplius durat annos, & ut tamdiù duret quãdiù in Cęlo Stellæ, in Terra homines erunt, nos omnes, qui Italici nominis amici ſumus præcamur. Veſtra initia, veſtri ortus non parvi, & exiles, ut cæterorum, ſed bonis artibus. Quo die veſtra Urbs eſſe cępit, eadem qualis nunc eſt, & libera, & Domina. Incrementi tantum terra, marique in dies habet, quantùm neque Sparthæ neque Athenis, neque Tyro, neque Rhodo, neque alicui liberæ Urbi Roma excepta, contigit; cui quantùm cædit, tantùm cæteras antecellit, ſed illa non tam claram, tamque honeſtam habuit originem, & Reges, & Tyrannos,

nos, & crebram ſtatus mutationem, & bella civilia, & Barbarorum arma, igneſque experta eſt. Veſtra Urbs adhuc virgo eſt; veſtra Urbs ultra mille annos, neq, eam, quæ totam Italiam invaſit, & adhuc durat Guelphorum, & Gibellinorum Pontificum, & Imperatorum pernicioſiſſimam fictionem, ſenſit, neque ſentiet unquam. Deo propitio, & veſtra virtute, juſtitia, & temperantia comite. Rectè igitur veſtram Urbem dicere poſſumus, non minorem Roma, ſed majorem Carthagine. Quidquid illa falſis numinibus, iſta veræ, ac orthodoxæ fidei ſervit Deo: ſi qui ſunt, qui Italiam tuentur, & iſtam Urbem perpetuam fore permittant. Iſta eſt Arx, & Decus Italiæ, & ſpes altera, iſta eſt ſcutum, & tutela Chriſtianorum: iſta eſt omnium bonarum artium officina, & nutrix. Iſta eſt alma Italiæ Parens Quid boni nobis relictũ eſt, quid externis gentibus obiicere, & oſtentare poſſimus, præter veſtram Urbem? Et ut verũ fateamur, tota Italia ſub umbra, imò in tenebris jacet. Apud vos tantùm ſervãtur reliquiæ & Græci, & Latini nominis. Quid dixi reliquias! cum ſoli vos Veneti Cuſtodes ſitis, græcæ & latinæ integritatis. Nulla eſſet latina, & græca lingua, ſi vos literas, ut cæteri excluderetis. Sed video Principes Urbis veſtræ, cer-
tatim

tatim literis operam navare, ideò nos qui literarum ſtudiis tenemur, vobis, veſtræque Reipublicæ multum debere fatemur; vobis bona omnia, & perpetuum Imperium precamur: veſtram Urbem, Dei providentia Arcem, Italicæ Libertatis, & gloriæ Aſilum, & Confugium miſerorum, & Chriſtianorum tutelam eſſe voluit. Si quid eſt Italici ſanguinis barbaris nationibus impermixtum, apud vos eſt. Veſtræ tot, tantæque ſplendidæ Familiæ, omnium Chriſtianorum vetuſtiſſimæ; Quis ex Chriſtianis, aut Principibus, aut Populis, tam longam poteſt antiquitatem demõſtrare? Antequam Franci, qui hodie in chriſtiana Republica nobilitatem ſibi, & Chriſtianiſſimorum nomen vindicant, & Germani in Galliam trajecto Rheno tranſmigrarent, ac imperio potirentur. Antequam Gothi, qui nunc Hiſpaniæ, Sardiniæ, Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, Bruciæ, dominantur, ex Italia in Hiſpaniam tranſirent; jam ſuis inſtitutis, jam ſua libertate Urbs veſtra gaudebat. Sunt nongenti anni, quibus iſta Urbs, cum Saracenis, totum mare internum, Hiſpaniam, Galliarum partem, Siciliam, Sardiniam, & magnam partem Italiæ, Aphricam, Arabiam, Syriamque, tenentibus, continua pro Chriſtiana Religione bella geſſit. Tarentum,

tum, Bariumque florentiſſimas Apuliæ Urbes, Garganum Montem, Anconem, Adriaticum, & omnem orbem, Dalmatiæ, à Saracenis ſæpè tutata eſt. Piratas, humani generis hoſtes ſæpè delevit, ac ſemper abominata eſt. Contra Turcas, quæ, & quanta geſſerit nemo ignorat. Jam Turcæ, Italiæ Imperio, ut & Græciæ, ſi verum non negamus, potirentur, niſi illis Veneti, multo & auro, & ſanguine effuſo, obſtitiſſent. Sed de hac re pro dignitate dicere, neque præſentis eſt negotii, neq; humeri mei portiuncularum tanti honeris, non dicam ferre, ſed ne tractare quidem poſſent. Volo tamen Lauredanus meus ſciat, tam venerabile eſſe apud me iſtius inclytæ, iſtius almæ Urbis nomen, quam fuerat illius gentium omnium Dominæ Romæ, & quoties in ſcriptis meis, aut in quotidianis apud Reges, & Proceres colloquiis, incidit meminiſſe, Venetorum laudes non tacui. Ego, ſunt ferè viginti quinque annis paucis diebus Venetiis moratus ſum, mallem literas neſcire, unicum infelicitatis meæ ſolatium, quam Venetias non vidiſſe. Ex veſtris quamplurimos eſſe doctiſſimos, audivi tantum. Hermolaum Barbarum, & audivi, & vidi, quocum Neapoli per biennium conjunctiſſimè vixi; ille amavit me unicè; inſcripſit mihi

inter.

interpretationem ſuam in Themiſtii Paraphraſim, in librum Phyſicæ Ariſtotelis. Obiit Juvenis, & ſcribens. Vir meo judicio eum omni antiquitate comparandus. Nuper cum Baduario veſtro, apud Federicum Regem Oratore, Viro modeſtiſſimo, ac literatiſſimo, eo ipſo duro, ac turbulento tempore verſatus ſum. Paſqualigum per literas cognovi. Dandalos, Juſtinianos, Donatos, Quirinos, Sanutos, Lippomanos, Georgios, Maurocenos, cæteroſque, quos longum eſt narrare, fama tantùm novi. Sumus enim in hoc remotiſſimo Italiæ Angulo. Te nunquam vidi, ſed olfacere mihi videor præſtantiam ingenui tui, tuam præclariſſimam familiam, & in navalibus bellis feliciſſimam, auſpicatiſſimam, fortunatiſſimamque toto Orbi natam, non ignoro. Tibi plus debeo, quoniam antequam me videres, amare cępiſti, & nugas meas eſſe aliquid cenſuiſti. Illas, qualeſcumque ſunt tibi mittó, & ſi quietem nobis agere per bella licebit, fortaſſe alias mittam; non quod bonæ ſint, aut te viro, excellentis in omni re Judicii, dignæ, ſed quoniam tibi illas ſummopere placuiſſe audio. Utere poſt hac Galateo tuo, ut tui amatiſſimo, & tibi deditiſſimo, qui in amore vinci turpe putat; præſertim à te viro optimo provocatus. bene. Vale.

Digitized by Google

ANTONII GALATEI
EPIGRAMMATA.

Ex Codic. M. SS. in 4. pag. 25 apud Joannem Bernardinum Taſurum.

IN OBITU JOVIANI PONTANI.

Sic erat in fatis, præ me Joviane ſubire
Funera debueras. Quis dolor, heù, cruciat,
Exoptabam annos, annis ceſſiſſe ſodalis,
Nec favit votis invida Parca meis.
Te poſſem, heù, ſaltẽ lacrymis revocare ſepulchro,
Aſſiduis lacrymis ſolverer in fluvium.
At quoniam lacrymæ nequeũt revocare ſodalem,
His illi, ò utinam ſubrutus addar aquis.

IN IDEM ARGUMENTUM.

Ergo mori fas eſt? licuit Joviane ſepulchro
Condere te? lacrymis quis valet eſſe modus?
Quot bona perdidimus? quot funera funere in uno
Flebimus: heù Terris mors odioſa nimis!
Quod ſi quo tegeris tumulo, quis ſenſus ineſſet,
Et tumulus gemeret, te potuiſſe mori.

IN IDEM ARGUMENTUM.

Sic Joviane tuum dilexiſti ſemper amicum?
Tu cadis, Infelix, nec Galateus obit.

O *Vive-*

Digitized by Google

Vivere me, ſine te, & contra, te poſſe negabas,
Vivo ego, te merſo funere, dimidium.
Res mira, unum cor, & amor fuit unus utrique,
Et modo non morior, te moriente ſimul?

IN IDEM ARGUMENTUM.

Sic eſt, dum fueras, fueram Galateus & ipſe,
Unaque corporibus vita duobus erat.
Nunc quoniam ceſſit Pontanus, ceſſit & alter,
Qui niſi dimidia parte ſuperſtes ineſt.
Heù amor, heù lethi violati Jura, deinceps
Vivere parte carens, quis poteris medium?
Aut igitur fera Parca mihi concede Sodalem;
Aut quo ſit Socius integer, ipſe necer.

EPITAPHIUM PONTANI ODE

Dicolos diſtrophos.

Hoſpes ſiſte precor, paucis te quæſo, ſub iſto
Marmore componitur Jovianus
Põtanus, modo cuncta tenes, modo cętera noſces,
Sat nomen prò laude loquetur,
Qui nomen prò laude gerit, non indiget ultrà
Laudis. Virtus nuda niteſcit:
Hæc tibi Pontane tuus Galateus obortis
Dat lacrymis pia dona Poetæ
Carmina cum lacrymis tumulo ſignata decebat
Te muſas ornaſſe perenni

Elo-

Elogio, ſed Muſæ etiam tua funera paſſæ,
Triſti animo exanimes tacuerunt.
Tanta tui Muſas, & nos reverentia tangit,
Et tanget, donec celebrabunt
Quas coluiſti artes, Nomen dabit inclyta Virtus
Perpetuum, atque æquale Camænis.

IN VITUM MULLUM
Naufragio natando liberatum.

Tyrreni freta læta Vitus rate vectus adibat,
Et trepitis celeri remige nabat aquis:
Quum ſubitò Pelagus Boreas ſubvertit, & Eurus,
Et ratis excelſis obruta ceſſit aquis.
Nec perit Mullus, natitanſque per æquora ſoſpes,
Appulit ad littus, lætus & exit aquis.
Naturæ ingenium, vim tu mirabere? Piſcis
Eſt Mullus, mirum ſi periiſſet erat.

IN NIFIAM GALLIPOLITANAM
Immodeſto habitu utentem, ac pulchram celebrari exoptantem.

Sæpè petis Niſis, ut pulchram te Carmine tollam,
Pulchra ines, & pulchram tota Juventa refert.
Quiſque colit Vultum, captatur quiſque ſereno
Pectore, par ætas non feret ulla decus.
Plura cupis? jam plura dabo. Præconia votum
Excedent, merito debita jure tuo.

O 2 *Si*

Si Venus in Terris ſpectari vellet amanda,
Altera, quam cuperet, non puto forma foret.

IN JOAN. ANTONIUM BAUCIUM URSINUM TARENTINORUM PRINCIPEM,

Qui ob importunam ſuam moram, à Ferdinando Rege Primo ab ſe anteà à Bello victo, victus deindè eſt.

Romanam Fabiis quondam mora reſtituit rem,
At mora nunc Bauci perdidit ipſa tuam.

IN TUMULUM CHRISTI DOMINI *EPITAPHIUM* ODE

Tricolos Tetraſtophos.

Heù Vita ſævo funere clauditur
Demerſa. Chriſtus, quid loquor, anxius
Mœrore? Mors immò perenni hic
Interitu cubat, & quieſcit.

IN SANCTOS MARTYRES HYDRUNTINOS.

Cæde cruentata, ac patrio comitata furore
Vicerat Hydruntum gens inimica Deo.

Quum

Quum biduo cuneis poſt diruta Mænia, ſevæ
Nongentos homines deſtinat illa neci.
Non illos fregere minæ, non cæca minantum
Ira, nec inſtantis dona ſuperba Ducis.
Quiſque ſub immani poſuit caput enſe ſecandum:
Una fuit cunctis mens, voluiſſe mori.
Felices, quibus huic licuit ſuccumbere ſorti,
Non poterant vinci, nobiliuſque mori.

IN JULIUM ANTON. AQUIUIVUM CUPRESSANORUM COMITEM
In Bello Hydruntino adverſus Turcas interemptum.

Dum Turcis fera bella parat Dux Julius almum
Germen, & Regno ſigna inimica fugat.
Hoſtis atrox pugnam committit fraude, feroque
Certanti Antonio conſcidit enſe caput.
Non cadit ille tamen, ſtat Equo rectus, abitque
Ceù victor ſtringens fervidus arma manu.
Non aliter prò Rege mori, prò Numine Julus
Debuit; haud moritur, ſi quis ità emoritur.

De mortalis vitæ incertitudine, ac brevitate AD GABRIELEM SETARIUM
Neritinorum Pontificem.

Sic eſt, ò Gabriel, volat irrevocabile tempus:
Nec datur ad primos poſſe redire dies.

Ceù flores orimur, morimurque, ſeneſcimus annis.
Certaque vivendi non datur ulla dies.
Tempore ſi trahimus, ſi tempore perdimus annos,
Aſſidua heù mors eſt vivere, vita mori.

In Judam proditorem propriis manibus laqueo ſuſpenſum.

Prodiderat Judas Chriſtum ſub imagine fictæ
Cultus amicitiæ, nec dolet eſſe Reum.
Quia ſcelus accumulans ſceleri, temerarius infert
In laqueum collum, nec mora preſſus obit.
Cur Judæ Judam jugulavit dextera? dignus
Non alius tanti criminis ultor erat.

Plagæ Lazari miſeri hominis fruſtra à divite Epulone opem implorantis, à Canibus in eodem convivio lambuntur.

Lazarum exuriens petit alta Palatia clari
Divitis, & putens ulcere poſcit opem.
Poſcit opem, ſed vota cadunt, perit irritus omnis
Clamor, nec miſeri flectitur ille præce.
Quāquā Epulis Epulæ certent, ac munera paſſim
Adſpiciat, cæteris non ſibi mica datur.
Marceſcit corpus, deturpant membra cruore:
Vulnera, nec pœnas, qui levet ullus adeſt.
Sollicito Domino ſervi famulantur edaci,
Nullum ſollicitum pauperis angor agit.

Commo-

Commovere Canes miſeræ diſcrimina ſortis,
Et relevant triſti vulneris ore malum.
Non curant menſas, contemnunt Divitis offas,
Hoc tantum placidi, quo removentur habet.
Res miranda! Canes dant quod negat Helluo,
Dediſcũt homines, quos didicere Feræ. (*mores*

Nero Agrippinam Matrem interficit.

Sævus Agrippinam ſtricto Nero ſuſtulit enſe,
Nec timuit Matris ſe temerare nece.
Quæ vitam dederat, vita ſpoliatur ab illo:
Vivere cui tribuit, funere merſa jacet.
Quod ſcelus admiſit Genitrix? quãdo illa Neronẽ
Edidit: ac turpi reddita digna neci eſt.

In Auli Poema ſpurciſſimum, poſt paucos ab eo tempore, quo ſcriptum eſt anno, caracteribus erubeſcens, ac penè obliteratur.

Compoſuit Vates numeris Eclion amatam,
Et ſpurcum turpi carmine exegit opus.
Qui color albentes chartas illuerat ater,
Extiterat nigrior factus alyptis aquis.
Erubuere tamen parvo poſt tempore notæ,
Et vix agnoſci, vix potuere legi.
Reſponſura ſuo merito eſt par pœpa labori,
Agnoſcit Vatis vel liber ipſe nefas.

Improba non putuit dum carmina texuit Aulus:
Carmina nunc triſti tincta rubore cadunt.

Antonius Brivius illuſtris Pictor Sallentinus poſtremam Cænam à Chriſto Domino cum Apoſtolis factam in Aula Jo: Antonii Tarentinorum Principis miro opere expreſſit, una forte jura Proditoris effigie imperfecta relicta.

Expreſſit tabulam Brivius: Spectatur in illa
Chriſtus cum Sociis; & benè ſplendet opus.
Omnia mirificè reſpondent legibus artis:
At Judæ effigies diſcolor una viget.
Cur verò hanc ipſam clarus non perficit Auctor?
In mentem ſcelus venit, & abſtinuit.

Digitized by Google

INDEX
OMNIUM RERUM,
De quibus ſivè in Textu, ſivè in Notis ſermo.

Abyla mons in tertio climate 9
Achamatus Turcarum Dux 56
Acra Japygia 109
Acroteriũ Promontoriũ 44
Adriaticum Mare 55
Admiratus Apuliæ 61
Aer malus 65 71
Affinitas inter ſenſum, & mentem 127
Ager Neritinus 123
Ager Sallentinus 125
Alphius Chriſti Martyr 108
Alphonſus Rex Neapoli Hydruntinam Civitatem Muris munit 52
Oſſa Martyrum Hydruntinorum in Tẽplo Divę Magdalenæ collocat 60
Ei fidelitas à Jo: Antonio Urſino jurata 101
Amphitalaſſa 18
Antonius Sanfelicius 123
Antonius Sanfelicius Neritinorum Epiſcopus 123
Apenninus 114
Ejus terminus 109
Apollonia 55
Apulia unde dicta 14
Ejus terminus 54
Aqua Sulphurea 40
Aquæ Japygiæ 15
Aquarum inundatio 117
Arabes corruptores nominum 9
Araneum Animal 17
Ejus venenum 18
Aragonenſes 62 72 77 101 119
Archita 32 33
Arethuſa 84
Ariſtotelis dictum 11
Ariſtoxenus 34
Ariſtocratia 35
Argyripam 93
Argi 72
Artemidorus 86
Aſini Japygiæ 15
Avicennæ error 8
Averrois, & Avicennæ diſſentio 8
Aulon 56 61
Auctoris Antiquitatis obſervantia 87
Ejus Patria 113
Coniectura 22
Progenies 113
Excuſatio 35 36
Propoſitum 3
Auſtri proprietas 129

Babi-

B

Babilon Civitas populatiſſima 71
Barium antea Japyx 54
Baleſus diruta 81
Boves Japygiæ 15
Brunduſium 68
Ejus ſignificatio ibid.
Portus 69
à Ferdinando, & Alphoſo Muris cingitur 71
Bruchi 19
Belliſarius Aquivivus Neritinorum Dux 40 134

C

Calabria olim Brutia 14
ejus ab Epiro diſtantia 54
ab Adriatico ſinu diſtantia ibid.
Callipolis 40
Callipolitani fideles 41
Calpe Mons in quarto Climate 9
Campi latini 116
Campi Tarentini pinguiſſimi 29 30 31 32
Campania 83
Canuſium 93
Capua 71
Carthago 131
Carolus Rex 62 100
Carolus Apul. Rex 41 100
Carolus Francorum Rex 42
Caſalenovum, & ejus origo 79
Caſtrum 45
ejus deſtructio ibid.
Caſtellum S. Cataldi 65
Caulon 66

Cæſar 73
S. Cæſareæ hiſtoria 45 46
Cænobium D. Nicolai 47
Cælias 141
Cærauni Montes 53 54
Cherſydri 18 19
Civitates Alfonſo fideles 101
Climate quarto, quæ compræhendantur 9
Climate quarto, quæ contineantur 9
Climatis quarti termini 11
Climate tertio, quæ loca contineantur 9
Climatis tertii terminus 10
Climata diverſarum Regionum 10
Comes Capaciæ 61
Comes Lupiarum 85
Cóſtantia Federici Uxor 99
Corpus temperatum facilius ægrotare 21
Corpora ad ſerviendum apta 17
Con Hippocratis patria tēperatiſſima 11
Coſmographia cui utilis ib.
Cretenſes 93
Crotopeſtum 71
Crocus 115

D

Damarathus Corynthius 68
Democratia 35
Diomades 93
Dirrachium 55 72
Dominicus Paganus laudatus 106
Domus malę ędificatæ 80

Dux

Dux Ferandinæ 43
Dux Neritinorum 40 134
E
Elias de Amato laudatus 4
Ennius 88
ejus Patria ibid. 89 100
à Scipione Africano honoratus 91 92
Enricus Enobarbus 99
Eratoſthene 86
Eraſmus Chriſti Martyr 107 108
Error Lactantii 128
F
Fabricii mendicitas 35
Fabula Maleficarum 125
Fabula Brocolarum 126
Familia Sanſeverinor. 132
Federicus 99
Ferdinandus junior Rex 62 70 102 119
Finis omnium 21
Fons calidæ aquæ 45
Fontes Japygiæ 15
Fortuna incoſtans 4
Franciſcus Neritinus 133
Franciſcus Pomponeus laudatus 106
Fridericus Henrici 71
G
Gainæ Aves 19
earum natura ibid.
Galatana 111
Ejus origo ibid.
Galeſus Fluvius 24 25
Gallipolis 40
In ora Senonum ibid.
Situs, & forma 41
Fides ibid.
Ejus everſio ibid.
Laus 42
á Gonſale ſubacta 43
Galli 29 43 73
Gallorum de Tarento judicium 29
Genus Marci Antonii 96
Garganus Mons 70 93
Gonſal 43
ejus crudelitas ibid.
Gothi 51
Græcia temperatiſſima 11
Græci 15 16 27 28 67 71 92
Græci generis laus 112
eorum mos erga mortuos 67
Urbes edificare 71
Gualterius Brehenna 62
Caſtellum S. Cataldi condidit 65
Comes Lycii 100
ejus mors ibid.
H
Heraclea 71
Herculei freti clima 9
Hyeroſolima in quo climate 10
Hipparcus 86
Hippocratis de Europæ, & Aſiæ gentibus ſententia 16
Hippocratis breviloquium 78
Hiſpani 77
Homini Chriſtiano nephas quid 56
Homines Itali 16
Hydruntum 50
ejus

ejus origo ibid.
à Gothis capitur 51
à Turcis 56
à Manfredonia diſtantia 53
Hydrunti diverſa nomina 51
Inſtauratio 52
Laus 59 60

I

Ignatius Maria Comus laudatus 91
Ignatius Papadia 106
Jagygia 12 14 54 113
quos homines gignat 17
Cherſoneſus eſt 12
Cretentium Colonia 93
temperatiſſima 7
cui ſigno cœleſti ſubjiciatur ibid.
Italiæ ſimilis 6
ejus terminus 54
Japygia Italiæ ameniſſima 15
ejus varia nomina 12
Boves 15
bonitas, & fertilitas ibi.
Japyges 5
Japigum promōtoriū 44
Iccus Philoſophus 34
Idomeneus 93
Imagines in ſpeculo 129
Iacobus Caldora 77 101 117
Ioanna Regina 63 101 117
Ioannes Andegavenſis 102
Ioan: Caſtriota Macedo 112
Io: Antonius Princeps 70 77 101 102 117 119
Ioannes Vitalianus 91
Ionium mare 55 93
Iſabellæ Reg. fuga 73 101
Italia 16 113
Magna Græcia dicta 1 2
ab Italo Rege 5
undé dicta 16
ubi anguſtior ibid.
Græciæ injūgi poteſt 53
ejus limites 1
Umbelicus Græciæ 3
Ejus antiquæ nobiliſſimę Urbes ibid.
Deſcriptio brevis 5
peninſulæ nobiles 5
duæ peninſulæ, & earū deſcriptio 6 7
Italia Philoſophia à quo 3 4

L

Lacedæmon 72
Lacedæmoni 77 78
Lactantii error 128
Ladislaus Rex 85
Lacus Limini 62
Lapis Lupienſis natura 98
Lamiæ 125
Leones 22
Leuca 44
ejus Templum ibid.
Leucopetra 55
Lex pro Gainis avibus 19
Leges ſcriptæ à quibus primó 3
Lybia 22
Lylibeum 131
Lingua Meſſapia 68 108
Lingua Peucetia 68
Linguarum varietas 108
Literæ Meſſapiæ ibid.
Lite-

Literæ Saracenicæ ibid.
Loyſius Andegavenſis 63
Ludovicus de Montealto 84
Ludovicus Antonius Muratorius laudatus 76 132
Lupiæ 91
Guidonis tempore quales 97
laus 97 98

M

Machometi mors 62
Magiſtrorum familia 119
Malum Iapygiæ 19
Malennius Rex 93 96
Mandurium 79 80
Mamfredus 99
Manfredonia 54
Marcus Antonius Princeps 28 43
Maria 85 100
Maris Mediterranei latitudo 7
Marſilius ruſticus Lupienſis 85
Materia digna cognitu 126
Matheſis 96
Medici primum munus 11
Megara 72
Metapontus 23 24
Monarchia 34
Monachi Magni Baſilii 47
Mons arduus 109
Montes Acroceruni 53
Muli Iapygiæ 15
Murus 105 106

N

Natura 20
Naturæ documentum 17
Neritum 125
Ejus laus 122 123
Origo 121 122
Fertilitas 123
Literæ 131 132
Nicolaus Hydruntinus 47
Nicomacus 34
Nilus 83
Nymphæus 110
Nola 83
Nortmanni 99

O

Opinio de S. Petro 37 38
Oria 75
ejus deſcriptio 75 76
Origo ibid.
& varia ejus fortuna 76

P

Petrus Aragonum Rex 41
Petrus Pollidorus laudatus 40 65
Phaſmata, ſive Mutata, quæ in agro Neritino videntur 125 uſq; ad 127
Philadelphus Chriſti Martyr 107
Piſcaturæ Tarentinæ proventus 28
Platonis dictum 22 72
Politiarũ genera quot 34
Pollidorus, Jo: Baptiſta, laudatus 8
Portus Brunduſinus laudatus 69
Ejus deſcriptio ibid. 70
Princeps Tarentinus Ioan. Antonius 94
Principatus animalium 17
Promontorium Acroteriũ, & Japygum 44

Ray-

R
Raymundus Urſinus 101
Regiones temperatæ 11
Renatus 101
Robertus Lupienſis 133
Robertus Viſcardus 99
Rogerius Dux Apuliæ ibi.
Rocha 62 63
Roma Caput Terrarũ 71
diſtat à Brunduſio 72
Romualdus Princeps 74
Rudię 82 uſq; ad 87
S
Sallentini 13 20 125
Cretentium Colonia 14
Saſo Inſula 61
Saturi à Tarẽto diſtãtia 37
Scriptores deſiderati 22
Scythia 22
Seleucides aves 19
Serpentes 22
Soletùm 103
ejus origo ibid.
Spinetus Ventura 73
Stephanus Archiepiſcopus
Chriſti Martyr 58
Ejus Patria ibid. 59
Strabonis de Regione Japygiæ opinio 14
T
Tanais 83
Tancredus Comes Lupiarum 99
Tarentum 23
Ejus origo 25
deſcribitur 27
Tarentina fertilitas 29
Piſcatura 28
quos habuit viros 32
diſtantia à Promontorio Japygio, & à Lacinio 32
Thebe 72
Templum Divę Mariæ de Leuca 44
Templum D. Petri 37
Templum D. Cæſareæ 45
Templũ D. Catherinę 109
Terræ temperatæ habitantes quales 16
Thonon Inſula 7
Tigres 22
Tumulus Demarato ab Alexandro extructus 68
Turcarum de Tarento judicium 29
Turris S. Iſidori 40
V
Vadiſcus Portus 44
Vaſta Oppidum 106
à quo deſolatum ibid.
ejus viri Illuſt. ibid.
Veneti Gallipolim deripiunt 41
Via Trajana 81
Vicus Divæ Mariæ ad Balneum 40
Villamarinus 61
Vina ochra 97
Viterbienſis hiſtoricus 95
Voragines 124
Uretus 109
Urbs Montis ardui antiqua ibid.
Uria (vide Oria)
Urbs S. Petri 103
Uſus Populorũ victorũ 93
Uxentum 44 110
Uxentinorum Portus 44

ERRATA CORRIGENDA

Pag.	Verſus	ERRATA	CORRIGE
4	27	Pantologia	Pantopologia
6	3	tutus	totus
ibid.	21	ventoram	ventorum
8	23	Trentanus	Frentanus
11	9	admiradi	admirandi
12	6	cherſuneſum	cherſoneſum
ibid.	18	præbe	præbet
13	30	à Fide	à Fede
17	6	ungium	unguium
ibid.	24	Tarentulam	Tarantulam
19	10	caſtramentati	caſtrametati
24	4	Geander	Leander
ibid.	18	regrata	regnata
33	25	remittens	remetiens
34	1	Nicomachium	Nicomachum
39	14	tempere	tempore
44	29	*Sigpo Libro*	*Signo Libra*
46	27	Gaborino	Laborino
48	29	ſecudo	ſecundo
50	30	Hydruntis	Hydruntinæ
51	27	Pandul. Collo.	Pandulf. Colle
53	7	Urbs	Urbis
54	12	ad Hydruntum	uſque Hydruntum
56	4	Achamantus	Achamatus
56	21	Gagettus	Lagettus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by [illegible]